Q. D. B. V.

INCLITAE ACADEMIAE

ALBERTINAE

REGIOMONTANAE

TRIA SAECULA FELICITER PERACTA

GRATULATUR

BONAQUE VOTA FACIT

GEORGIA AUGUSTA

INTERPRETE

CAROLO FRIDERICO HERMANNO,

ELOQUENTIAE P. P. O.

Insunt vindiciae Latinitatis epistolarum Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

Legis veteris Atiniae verba sunt: quod subreptum erit, ejus rei aeterna auctoritas esto.

Gellius.

Centesimus hic agitur annus, postquam Ciceronis epistolae ad M. Brutum, quarum auctoritatem per duodeviginti saecula ne levissima quidem suspicio tetigerat [1]), velut conspiratione aliqua doctorum hominum manibus extortae in eumque contemtum adductae sunt, ut vel inter philologos paucos esse arbitremur, qui non ipsum earum contagium velut proscripti exulis consortia vitarint [2]). Nimirum quum anno 1741 Conyers Middleton, Universitatis Cantabrigiensis Bibliothecarius, verbosum illum multisque nominibus reprehendendum commentarium de vita M. Tullii edidisset [3]), Jacobus Tunstallus, ejusdem Universitatis orator, Bentlejanae laudis vel aemulandae vel ulciscendae [4]) occasionem invenisse ratus, in Epistola critica, qua varios illi errores sive jure sive secus exprobravit [5]), eo se abripi passus est, ut

1) Erasmi enim verba in Epist. ad Beatum Rhenanum (Oper. T. III, P. 1, p. 554): *porro quas nobis reliquit nescio quis Bruti nomine, nomine Phalaridis, nomine Senecae et Pauli, quid aliud censeri possunt quam declamatiunculae?* scite Tunstallus Observ. p. 53 contra Middletonis errorem, quo is in Praef. p. ix ipse sua vineta cecidit, non nostras Latinas spectare animadvertit, sed Graecas, quae cum Mithridatis alicujus praefatione circumferuntur; cf. Fabric. Bibl. Gr. T. I, p. 414 et Bentleji Opuscc. p. 3.

2) Omnium instar sit Abekenius, qui in libro bonae frugis plenissimo: Cicero in seinen Briefen, Hannov. 1835. 8, de epistolarum commercio inter Ciceronem et Brutum agens p. 404: *leider*, inquit, *sind uns diese nicht erhalten!*

3) The history of the life of M. Tullius Cicero in three volumes, apud nos quoque compluribus interpretationibus notus, *qui liber*, ut F. A. Wolfii verbis utar, *ceteroquin ad legendum Ciceronem omnemque illorum temporum historiam cognoscendam utilissimus, facilem reprehendendi et corrigendi copiam praebebat, quum tria haberet eximiis laudibus juncta peccata: primum quod heros ille saepius intentiore ipsius quam veritatis studio ornatus et expictus esset; tum quod idem magis ut civis in republica regenda versatus quam ut homo doctrina excellens optimeque de literis merens esset spectatus; denique quod non raro historicae res minore diligentia et critica cura tractatae essent*; cf. praef. ad M. T. C. quae vulgo feruntur orationes quatuor, Berol. 1801. 8, p. vi.

4) Middletonis injurias adversus Bentlejum commissas paucis adumbravit Wolfius Liter. Analekten T. I, p. 45; pluribus narrat Monkius, the life of Richard Bentley, London 1830. 4, p. 198 sqq. 388 sqq. 491 sqq.

5) Epistola ad virum eruditum Conyers Middleton, vitae M. T. Ciceronis scriptorem, in qua ex locis ejus operis quam plurimis recensionem Ciceronis epistolarum ad Atticum et Q. fratrem desiderari ostendi-

easdem machinas, quibus summus ille criticae artis stator Graecanicarum epistolarum figmenta convellerat, Latinis quoque Bruti et Ciceronis convenire existimaret: quumque huic conamini Middleton in peculiari illarum epistolarum editione non ille quidem inepte aut imperite, attamen minus plene nec sine novorum errorum adjectione respondisset 6), Tunstallus nunc demum justa acie instructa tantas doctrinae et acuminis copias in medium produxit, ut adversarius velut armis de manibus excussis obmutesceret 7); denique hunc ipsum jam fusum et fugatum a tergo aggressus Jeremias Marklandus et illius victoriae partem sibi aliquam vindicavit et eadem opera in orationes illas quatuor invasit 8), quas postmodo inter nostrates quoque F. A. Wolfius obelo suo confodisse non sibi tantum sed etiam multis aliis ad hunc usque diem visus est. Quanquam harum quidem ita certe longe melior condicio fuit, quod et statim acrem vindicem nactae sunt Jo. Matthiam Gesnerum, immortale hujus Academiae decus, nec post Wolfium defuerunt, qui sive omnium sive singularum ita patrocinium susciperent, ut jam vel superare eorum numerus videatur, qui iis pro genuinis uti non recusent 9); de epistolis vero etiam Gesnerus in Middletonis defensione acquiescere satis habuit 10), summique recentis aetatis critici, nec si de orationibus a Marklando Wolfioque dissentirent, Tunstallo tamen calculum suum adjicere dubitarunt 11); utque Schützium taceam, qui priorum ju-

---

tur, de illarum vero, quae Ciceronis ad Marcum Brutum Brutique ad Ciceronem vulgo feruntur Epistolarum αὐθεντίᾳ nonnulla disseruntur. Cantabr. 1741. 8.

6) The epistles of M. Cicero to M. Brutus and of Brutus to Cicero . . . together with a prefatory dissertation, in which the authority of the said epistles is vindicated etc. London 1743. 8. Eadem in Gallicum sermonem conversa prodiit Parisiis 1744. 8.

7) Observations on the present collection of epistles between Cicero and M. Brutus, representing several evident marks of forgery in those epistles etc. London 1744. 8.

8) Remarks on the epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero. London 1745. 8.

9) Cf. imprimis O. Mülleri Etrusker T. II, p. 6 et 23 et Drumanni Geschichte Roms T. V, p. 471 sqq. Data opera J. A. Savelsius et universas quinque orationes (Marcellina comprehensa) vindicavit Aquisgrani 1828 et eam quae est post reditum in Senatu peculiari editione defendit Coloniae 1830; adde ejusdem comm. de oratione pro domo, Essendiae 1833. 4, et Th. Lucae Quaestionum Tullianarum specimen, Hirschbergae 1837. 4.

10) Comm. Soc. Gott. T. III. (1753) p. 226: *de epistolis ad Brutum longior fabula, disputatio impeditior est, a me quidem nondum ita excussa et exquisita, ut abscisse pronunciare audeam; nisi quod sufficere hactenus mihi videbatur Middletoniana defensio, ut nova opera ne valde quidem opus sit.*

11) Cf. Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 12: *ego vero Marklando et Tunstallo facile assentior, Ciceronis ad Brutum et Bruti ad Ciceronem epistolas a falsario esse confictas*; et Wyttenbach. V. Ruhnken. p. 219: *de epistolis assentior, de orationibus non item.* Solus Weiskius in Annotationibus ad selectas Ciceronis epistolas, Brunsv. 1796. 8. p. LVI patrocinium earum suscepisse traditur; eum tamen librum nunquam vidi.

dicia paene caeca fide secutus est [12]), in ipsa nostrorum temporum luce et Orellius, intelligentissimus librorum Ciceronianorum editor, eandem sententiam praetulit [13]), et insigne Vestrae Universitatis lumen Drumannus, quamvis orationes suffragio suo tueatur, ne telis quidem iis uti voluit, quae infestissimo Ciceronis obtrectatori ipsae hae epistolae offerebant, sed identidem spurias appellavit Anglorumque disputationem gravissimo suo assensu comprobavit [14]). Quae quum ita sint, quantae aleae opus suscipiat, si quis post tot tantorumque nominum judicia non reum aliquem sed damnatum et tantum non extremo supplicio affectum librum defendere ejusque auctoritatem velut postliminio reducere conetur, haud me fugit, Viri Illustrissimi; neque in hoc ipso negotio capessendo id mihi arrogavi, ut meam qualemcunque fidem contra docti orbis paene unanimem consensum valere postularem; qui etsi ita me in epistolarum Ciceronis lectione versatum esse arbitror, ut vel sensui meo aliquatenus confidere audeam, ipsam hanc sentiendi viam adeo lubricam esse scio, ut nisi rationibus allatis ne summum quidem criticum mihi in hoc genere imponere patiar [15]); idem tamen postquam iterata lectione, quum diversissimis temporibus ita sibi constantem sensum meum habuissem, ut vel non tradito scriptore ex ipsa dicendi judicandique forma Ciceronem mihi agnoturus esse vide-

---

12) In M. T. C. quae vulgo feruntur orationes et epistolas prolegomena, in edit. Oper. T. VIII, P. 3, p. xxxviii sqq., unde ad verbum repetiit Bentivoglio in edit. Mediol. 1830. T. V.

13) Praeter ipsum locum, quo epistolas ad Brutum in fine Vol. I. editionis suae relegavit, cf. Vol. IV, P. 2, p. 468 et quae Baehrius Gesch. d. röm. Liter. edit. II, p. 590 ex ipsius literis narrat eum non ante 740 u. c. scriptas adeoque fortasse ab eodem rhetore fictas censere, cui orationes, quas cum Wolfio damnat, originem debuerint.

14) Praeter judicia in transcursu prolata et significata potius quam explicata T. I, p. 238. 263. 321. 526; T. II, p. 105 etc. cf. inprimis T. IV, p. 40, ubi tamen jure mireris, quod Middletonis errorem de Erasmi sententia (cf. not. 1) quamvis ab ipso Tunstallo dudum refutatum rursus in suum usum convertit!

15) Certe non plus mihi vindico quam Tunstallo concedo, qui identidem narrat primam sibi dubitandi causam eam exstitisse, quod a reliquarum epistolarum lectione ad hunc librum delatus magnum sibi venustatis ac copiae discrimen deprehendere visus sit; cf. Epist. p. 193 et Observ. p. 106: *I am not ashamed to own again to the Public, that the first occasion of my suspecting the letters was taken from my coming to them fresh from the reading of Cicero's genuine Epistles and from perceiving on a sudden a total alteration in the character and style* etc.; nec si post Gesnerum, cui *per quinquaginta annorum consuetudinem suum dicere Ciceronem* licuit (l. c. p. 232), nihilominus Wolfius iisdem quas hic defendit orationibus fidem abrogare conatus est, auctoritatis hic ullum pondus esse potest. Recte autem jam Marklandus p. 161 *but the strength*, inquit, *of the argument against the genuineness of these letters does not rest upon a possibility or the authority and opinion of any man or number of men; but upon evident matter of fact, founded upon such rules of judging, as in the present case can scarce deceive us*; his igitur armis certamen haud renuo.

rer, curiosius in tam mirae condemnationis causas inquirere aggressus tantam adversariorum sive calumniam sive levitatem deprehendi, quantam vix animus cupiditate occaecatus excusare posset, nefas fore duxi, nisi doctorum oculos aliquando ad miserum exulem revocassem instauratoque judicio illud certe disceptari jussissem, num ea argumenta, quibus artis criticae tum aurora contenta fuit, hujus quoque aetatis meridianae luci sufficiant. Nam ut dicam quod sentio, nemo eorum, qui ad hunc usque diem secus de his epistolis existimarunt, ad eam quaestionem aut incorrupta opinione aut data opera aut idoneis subsidiis instructus accessisse videtur; quorum plerosque consentaneum est Tunstalli Marklandique libros, rarissimos illos et peregrina lingua conscriptos, ne oculis quidem unquam usurpasse; sin qui viderunt, aut taediosissimae disputationis salebris et ambagibus defetigati in ipso itineris fine acquieverunt [16]), aut minaci illorum confidentia territi tanto verborum testimoniorumque molimini cedere tutissimum duxerunt, aut ipsi velut contagione aliqua infecti laeti libentesque in injuriae societatem venerunt; denique, ut fere fit, victricium partium consortia potiora rati damnando victo suam sibi diligentiae et sagacitatis portionem arripere quam recipiendo ac tuendo in eandem stuporis et imbecillitatis invidiam incidere maluerunt. Neve quis durius haec dicta putet, unum moneo, per hos centum annos omnes quidem has epistolas pro suppositiciis sprevisse, argumentum tamen, quo id probaretur, praeter ea quae Tunstallus et Marklandus protulerunt, ne unum quidem amplius, quantum equidem scio, prodiisse [17]), sed si quid in hac causa novi intervenerit, ex ipsis Anglorum rationi-

---

16) Prorsus enim in horum Anglorum sermonem totamque disputandi rationem cadit, quod de populari eorum Dodwello Niebuhrius judicat kl. histor. Schriften T. I, p. 113: *Ich kann aber überhaupt nicht darüber schweigen, dass die Auctorität dieses absprechenden chronologischen Kleinkrämers durchgehends viel zu hoch gehalten wird und eine Menge Irrthümer festgestellt hat. Wenige werden Lust haben, seine in der allerermüdendsten Manier verfassten Abhandlungen prüfend durchzugehn; um so mehr verführt die scheinbare ängstlich gewissenhafte Genauigkeit seiner Festsetzungen, ihm mit Respect auf das Wort zu glauben. Aber wenn man den Verdruss überwindet und seine langen Argumente zergliedert, so wird man allenthalben ungerechtfertigte Folgerungen und die unnatürlichste Verbindung der Facta, um Schlüsse zu erzwingen, dabei eine völlige Entblössung von Sinn entdecken, und in seinen weitläufigen Arbeiten nur Materialien suchen.*

17) Nam quod Stürenburgius ad Cic. de Officiis (edit. 1834) p. 177 in Epist. II. 8 ab usu Ciceroniano alienum reperit *nulli* pro *nemini*, ad nostram quaestionem non pertinet, si quidem epistolae illi ad Octavium datae cum Brutinis nihil commune est, nec nisi editorum levitas spurium hunc foetum cum secundo ad Brutum libro conjunxit, quocum ne codicibus quidem iisdem comprehenditur; cf. Orell. ad Epist. T. III, P. 2, p. vi. De Brutinis autem solus Johannes de Gruber in Quaestione de tempore atque serie epistolarum Ciceronis (Sundiae 1836. 4) p. v ita se dubitare professus est, ut *gravia argumenta contra*

bus unam alteramve a Ruhnkenio, Schützio, Drumanno infirmatam esse; quod si facili negotio demonstrari potest plerorumque, quae illi disputarunt, eandem condicionem esse, ut, modo excutias, tota species quamvis incredibili cupiditate et solertia conflata dilabatur atque evanescat, etiam si vel maxime sensus meus me fefellerit, illud saltem lucrabimur, ut qui posthac illorum exemplum sequi cupiat, alia et certiora indicia adhibere cogatur, quibus non unius alicujus vocabuli, sed integri libri fidem frangat. Hoc autem consilium quamvis diu destinatum quod nunc potissimum exsequi institui, quum ad Vestram, Viri Illustrissimi, laetitiam saecularem nostrae quoque voluntatis testificationem afferre jussus sum, id vero pervelim Vobis aeque gratum et acceptum esse, ut mihi ista invitatio opportuna atque honorifica visa est; qui sive spectatores faventes et benevolos contentionis meae expeto, vix alios fraudi, cavillationi, astutiae inimiciores inveniam, sive judices quaero, nullos novi, quorum assensum consequi malim, quam eorum ex Vestro numero, qui has ipsas literas intelligunt; postremo, si quid modo de me sperare liceat, argumentum certe non facile illustrius Vestrove splendore dignius exstabit, quam si per istorum solemnium occasionem vetus centum annorum injuria rependi ac resarciri coepta fuerit. Illud tantum doleo, quod tam sero ad nos nuncius de saecularium Vestrorum diebus perlatus est, ut brevi temporis spatio inclusus totam quaestionem intra hujus libelli fines absolvere non potuerim; itaque unum ejus locum selegi, qui ut ad demonstrationem planissimus, ita ad omnem illam perversitatem, quam superius in adversariis reprehendi, intelligendam aptissimus est; nec si in plurima ejus parte cum Marklando nobis res erit, minus ideo Tunstalli ingenium vel in paucis, quae ex hoc genere attulit, apparebit. Scilicet plurimum hic operae in ea re posuit, ut tum mores et sententias, tum res gestas earumque tempora, qualia in his epistolis describuntur, aut inter se aut cum iis quae aliunde constant pugnare ostenderet; quod etsi nec fide nec diligentia aut aequitate majore fecit quam qua in extrema Observationum parte sermonis formam et verborum usum reprehendit, ampliorem tamen refellendi continuitatem postulat;

---

earum veritatem proferri posse diceret; eadem tamen negavit scilicet tam breviter exponi posse, ut illo loco rem transigere concessum esset; neque alia causa fuisse videtur Ulrichii, quem F. A. Wolfius narrat aliquando idem opus aggressurum fuisse; cf. Anal. T. II, p. 381: *Ganz anders klingen freilich die Epp. Cic. ad Brutum et Br. ad Cic., worunter einige in Absicht des Stils aufs schönste gerathen sind. Um so belehrender wird die Kritik seyn, wenn alles darüber von den Engländern Verhandelte zusammengebracht und mit den nöthigen Zusätzen bereichert wird, wie einst Hr. Prof. Ulrich zu Zürich vorhatte, den wir hiemit an seinen Vorsatz freundschaftlich erinnern wollen.*

Marklando vero, qui Latinitatem maxime calumniatus est, in plerisque ita occurri potest, ut primo statim adspectu eum deprehendamus, quem jam aequales existimaverunt *intelligendo fecisse ut nihil intelligeret* 18); quod quum praeterea historicis Tunstalli cavillationibus aliqua certe tenus a Middletone responsum esset, sermonis autem causam, cui nos philologi plurimum tribuimus, nemo adhuc egisset, non meis magis rationibus quam ipsi quaestioni convenientissimum fore arbitrabar, si Latinitatis vindicias toti disputationi velut pro fundamento praemisissem. Hanc igitur destinatae coenae quasi gustationem aliquam nunc quidem benignis animis accipite, Viri Illustrissimi; de reliquis, quamvis nominum Vestrorum praescriptione gloriatura non sint, sic tamen habete, me nunquam oblitarum illa quoque Vobis et spectatoribus et judicibus scribi.

---

18) Hurdii verba sunt Works T. IV, p. 289, quibuscum consentit Wyttenbachii judicium Bibl. crit. T. I, P. 3, p. 39, ubi Marklandum cum Toupio comparans *illum ratione hunc ingenio criticam factitare* dixit. Pluris eum fecit Wolfius, qui non solum ad Oratt. IV, p. VIII *Bentleji gloriam quanquam aliquo intervallo proxime aemulatum esse* judicavit, sed etiam data opera vitam ejus descripsit Anal. T. II, p. 370 sqq.; ipse tamen Bentlejus eum nunquam magni fecisse videtur, nec profecto est cur ejus judicium in his literis ratum habeamus, quem secundum ea, quae apud Wolfium leguntur, probabile est, si diutius vixisset, vel libros de Oratore inter spurios rejecturum et Horatium ex Horatio expulsurum fuisse! In illos certe jam impetum meditabatur (*I have made another attack upon Cicero de Oratore, in which I fancy I have found out strange things*); de Horatio autem haud scio an nihil unquam jucundius a critico dictum sit, quam quod ille, *innumera esse, quae non intelligat*, professus: *neque adeo*, inquit, *miror, quum haec obscuritas a posteris invecta fuerit!* Magnis utique laudibus etiam haec ejus sententia a recenti Horatii carnifice Peerlkampio p. VII elata est; ego vero cum Gesnero facere malo, qui l. c. p. 234: *potuit*, inquit, *absurdum Marklando vel mihi videri et tamen esse Tullii.*

Eorum, quae aut Tunstallus aut Marklandus in Latinitate epistolarum Ciceronis ad M. Brutum hujusve ad Ciceronem reprehenderunt, quatuor genera constitui possunt; quorum primum nec numero minimum eos locos comprehendit, ubi clarissime apparet illos sermonis usum, quem has epistolas innumeris modis violasse calumniantur [19]), ne ipsos quidem satis recte tenuisse, quodque jam Gesnerus jure meritoque Marklando exprobravit [20]), ipsius Ciceronis libros haudquaquam ea diligentia legisse, ut eorum judicia aliquid auctoritatis habere possint; alterum, quamvis prorsus congrua ac genuina apud Ciceronem exempla non habeat, tamen ab aliorum locorum similitudine ipsisque sermonis legibus facilem excusationem invenit; tertium ut offensione liberetur, interpretatione modo eget, quam illi haud raro in clara luce dormientes non viderunt; in quarto denique admodum pauca restant, ubi tantum censurae deberi videatur, ut levi emendatione reprehendendi causas tollamus. Neque enim ii sumus, qui harum epistolarum orationem, qualis nunc legitur, omni labe carere contendamus; quod ut in nullo antiquitatis monumento librariorum incuria permittit, ita in his libris portenti instar foret, qui quum sin-

---

19) J. Tunstall Obss. p. 381: *the instances of unnatural or ambiguous construction, of low and almost barbarous expression*, moxque p. 382: *the instances of labour, trivial exactness, and heavy but unmeaning periods, are almost innumerable.* Omnia crimina his verbis comprehendit Marklandus Remarks p. 5: *in the first place, several expressions, which seemed to be false Latin; others inconsistent or contrary to the nature of language; sometimes one word, seemingly through mistake or failure of memory, put instead of another, to which it had some resemblance; at other times a word, absolutely necessary to the sense, omitted; often a great ignorance in the propriety and signification of the Latin tongue; some words used in a manner quite different from the constant practice of Cicero in all his other writings; and lastly one new word, not to be found in any other part of Cicero or in any Latin author, and moreover such an one as seemed to be contrary to analogy and the formation of Latin words; thus much for the language.*

20) L. c. p. 282: *non satis illi familiarem esse Tullium, a qua tamen familiaritate paene sola judicium totius hujus causae pendere certum est, etiam hic observare licet.*

guli singulorum codicum fide nitantur [21]), ne illud quidem subsidii praebent, ut plurium fontium comparatione lectionem dirigamus; at enim vero si quis omnes veterum libros, in quibus aliquid inepte, soloece, inconcinne, aut minus eleganter scriptum exstet, illustribus Graeciae Latiique nominibus indignos existimet, barbariaeque vestigia si quae sunt, ad scriptorem magis quam ad descriptorem referat, is vereor ut multa nobis ex tanta praeclarissimarum literarum copia relinquat. Quanquam sedulo cavendum est, ne cui iccirco hac praefatione uti videamur, quo totam epistolarum formam emendando velut refingere, dumque earum auctoritatem tueamur, codicum fidem susque deque habere propositum sit; immo praeclare nobiscum agitur, quod quum omnium locorum, qui vel lenissimam medelam poscant, multo minor numerus est, quam in tanta fontium tenuitate exspectes, tum inter eos, quorum Latinitas Anglos nostros male habuit, vix duo tresve in hoc genus cadunt; plerique, modo recte intelligantur, ne corruptelae quidem speciem praebent, nedum ea scabritie laborent, quae velut contagione sua integrum librum in falsi suspicionem trahat. Sic ut jam singularum epistolarum criminationes persequar, in prima primi libri Tunstallo verba: *a suis vel per suos potius iniquos*, putidae diligentiae speciem prae se ferre visa sunt; quae si qua est, eandem genuino Ciceroni exprobres pro Roscio Amer. c. 29: *quid ais? vulgo occidebantur? per quos? et a quibus?* et de Univ. c. 6: *quum ipse et per se et a se et pateretur et faceret omnia;* ubi quae praepositionum vis, quod discrimen sit, docte illustrat Handius Tursell. T. I, p. 31. Nimirum *ab iniquis* laeditur, quem ipsi inimici in invidiam adducunt, *per iniquos*, de quo inimici alium subornant, qui aliquid ad alterum deferat, quo hujus animus ab illo abalienetur; quod facile apparet quanti referat in eo tuendo, qui ipsum delatorem iniquum sibi dicere aut nequeat aut nolit. Idem in sexta reprehendit ambiguitatem praepositionis in his: *ab Satrio, legato C. Trebonii, reddita est mihi epistola, a Tillio et Dejotaro Dolabellam caesum fugatumque esse*, quam, si recte interpunxisset, nullam esse videre

21) Secundum librum, sed epistolarum tempore priorem, ex sola Cratandri editione Basileensi a. 1528 ad posteros pervenisse constat; primi plures quidem codices Msti exstant, eorum tamen omnium communem fontem esse apographum Petrarchae Orellius docte ostendit, eique sententiae luculentum testimonium ex ipsa epistola secunda accedit, si quidem vere Tunstallus p. 31 animadvertit, Petrarcham in Epistola ad Ciceronem inter alia multa etiam hunc locum respexisse: *quod scribis me maximo otio egisse ut insectarer Antonios;* ibi enim lectio *otio* manifesto corrupta est et in *animo* mutanda, ut recte jam vidit Manutius.

poterat [22]); sive revera ambigi possit, utrum illa epistola a Satrio ipso allata an ab eo per alium missa fuerit, reprehensioni non magis hic quam in secunda libri secundi locus erat, ubi Cicero *literas sibi in senatu redditas esse a Lentulo* scribit [23]); prorsus enim eodem exemplo legimus ad Fam. II. 17: *binas literas a te mihi stator tuus reddidit*; ad Att. II. 12: *ibidem illico puer abs te cum epistolis*; itemque apud Caes. B. C. I. 1: *literis a C. Caesare consulibus redditis*; neque opinor metuendum erat ne Brutus, qui probe norat, quibus in terris tum maxime Lentulus degeret, coram hunc Ciceroni literas in senatu tradidisse putaret. Ejusdem farinae est idiotismus, quem ille deprehendere sibi visus est in quarta et duodecima, ubi primum Brutus Ciceronis virtutes *cum quolibet antiquorum* comparari posse ait, deinde Cicero causam Lepidi *ab Antonio* distinguendam esse negat; nec si etiam Middletoni haec adeo intolerabilia visa sunt, ut priori loco *virtutes* prorsus ejiceret, altero genitivum *Antonii* pro ablativo substitueret, ipsius breviloquentiae sanitas adeoque elegantia imminuetur. Orellius jam contulit pro Roscio Amer. c. 48: *desinant suam causam cum Chrysogono communicare*; nec diversa sunt pro Sulla c. 26: *conferte cum illis vitam Sullae*; pro Flacco c. 26: *cujus ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam*; Orat. I. 42: *si cum illorum Lycurgo et Solone nostras leges conferre volueritis*, moxque: *hominum nostrorum prudentiam ceteris hominibus antepono*; Tusc. I. 1: *quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda?* Offic. I. 22: *ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus conferendi sunt*, ubi alia exempla Heusingerus et Beierus attulerunt; denique latissime hoc dicendi compendium in utroque sermone patet, quo scriptores, ut Schaeferi verbis utar ad Apoll. Rhod. T. II, p. 164, *in comparationibus rem ponunt pro rei attributo, seu comparatur ipsa, seu aliud quid cum ea comparatur*; cf.

---

22) Obss. p. 394: *Brutus receives a letter, where it does not appear from the words, whether it was sent from Satrius and delivered by Tullius and Dejotarus, or the reverse; nor whether this Dejotarus was a king or a servant!* At scripta erat epistola a Cythereo quodam Graeco, ut proxime sequitur, ab hoc ad Satrium et a Satrio ad Brutum missa, nec de Dejotari condicione Tunstallus dubitasset, si ab hoc ipso et Tillio (ita enim legendum esse post Perizon. Animadv. hist. p. 341 recte Ernestius intellexit) Dolabellam caesum fugatumque dici vidisset.

23) Scilicet hic quoque cavillatur Tunstallus: *Cicero makes mention of his receiving a letter, of which it is difficult to know, whether Lentulus was the bearer or the writer . . . this was the letter-writers meaning, but he rather says, that Lentulus was the bearer of the letter!*

eundem ad Dionys. de Compos. p. 170 et Melett. crit. p. 58, Boeckh. ad Pind. Olymp. I. 7, Nitzsch. ad Odyss. II. 120, Hermann. ad Viger. p. 717, Sintenis ad Plut. Pericl. c. 7, Stallb. ad Plat. Protag. c. 38, Jacob. ad Lucian. Alex. c. 40, Frotscher. ad Xenoph. Hieron. c. 1 extr., Latinaque apud Kritz. ad Sallust. Catil. c. 51. 18, Loers. ad Ovid. Trist. V. 5. 43, et Intpp. Juven. III. 74. Sed Tunstallus, ut superius dixi, in hoc genere et parcior fuit et cautior; tanto inconsideratior Marklandus, quem ubi fidenter negantem legas, verbum aliquod vel structuram apud Ciceronem exstare, omnes ejus libros in numerato habere credas; mox accuratius investigans ne epistolas quidem ceteras quanta par erat cura eum legisse intelliges. Velut in epistola duodevicesima, ubi haec leguntur: *arcesseremusne te atque id tibi conducere putaremus, an tardare et commorari te melius esset,* ille multis verbis ita disputat, ut *tardare* neget ante historiae Augustae scriptores apud quenquam Latini sermonis auctorem intransitivum significatum gerere, eoque postremo descendit, ut nostrae epistolae scriptorem eum usum ex sacrorum Bibliorum interpretatione vulgata didicisse arguat [24]); quem tamen apud ipsum Ciceronem legere poterat ad Att. VI. 7: *numquid putes reipublicae nomine tardandum esse nobis*; neque aliter Virgilius Aen. X. 857: *vis alto vulnere tardat*; ut mittam Caesaris locum B. C. II. 43, quem ipse Marklandus laudat, sed ut *tardarentur* scribendum esse contendat, quamvis optimus codex apud Oudendorpium habeat *tardarent* ipsaque soni elegantia post antecedens *deprimerentur* activam formam flagitet. Eadem causa est libri secundi septimae, ubi praefracte negat *honorem diis immortalibus decretum* recte dici; *decerni* enim triumphos et similia, honores *haberi*; ejusque usus praeter alios locos, de quibus facile concedimus, etiam Catil. III. c. 10 testimonium denunciat: *multi saepe honores diis immortalibus justi habiti sunt ac debiti,* unde ipsum nostrum locum verbatim (sic enim loquitur) uno tantum vocabulo imperite mutato transscriptum esse arguit [25]). Me vero nec si nullus locus exstaret, ubi honores *decerni* dicerentur,

---

24) Remarks p. 113: *from these places of the Latin Vulgate it is likely our Author took his use of the verbe* tardare *. . . here then in all probability is an instance of a word not used in that manner and signification in the time of Cicero!*

25) Ibid. p. 81: *but our Author, either that he might conceal his obligation to that passage of Cicero, or because he knew no better, and thought it was the same thing, instead of* habitus *puts* decretus*: he seemes to have had but little notion of this matter, and acts as if he thought that to write Latin is nothing more than to put together Latin words!*

haec formula offenderet, si quidem aliud puto est *habere* honorem, aliud *decernere*, quorum alterum in sententiis, alterum in factis cernitur, nec si honor, ut est Brut. c. 81 et ad Fam. X. 10, *virtutis praemium* est, virtutis autem praemia Orat. II. 85 *decerni* dicuntur, quidquam opinor obstabit, quominus etiam *honores decerni* credas; ne quis tamen vel sic exempla desideret, legat ad Att. V. 21: *nullos honores mihi nisi verborum decerni sino*, et Philipp. IX. 6: *cur decernit honorem sepulturae, qui maximus haberi potest mortuo?* postremo si et hoc argutetur, quod quam inane sit, sponte apparet, hominibus quidem decerni honores posse, diis immortalibus non posse, in ipso illo Catilinariae loco Cicero: *ad omnia*, inquit, *pulvinaria supplicatio decreta est*, itemque Philipp. XIV. 8: *supplicationes modo qui decrevit, idem imprudens hostes judicavit*; quod si supplicatio est honor, qui diis immortalibus habetur, his quoque honores decerni potuisse patet. Obiter tango aliam calumniam, quam in eadem voce septimae decimae opposuit, ubi Brutus ad Atticum de Cicerone querens: *quid*, inquit, *inter illum et Salvidianum interest? quid autem amplius ille decerneret?* nimirum senatorum esse *decernere*, Salvidienum autem senatorem tum nondum fuisse [26]), quasi non id ipsum hypothetica constructio declaret! inter eos autem locos, quorum Latinitatem Marklandus impugnat, jam occurrit in epistola quinta decima Messalae adolescenti tributum *verissimum dicendi genus*, quod ille nove et affectate dictum esse arguit [27]), nos ubi Ciceronem verissime scripsisse dixerimus, non veremur, ne hunc soloece laudasse videamur. Nimirum aliud est *optimum* dicendi genus, quod nisi in summo et perfecto oratore non cernitur, aliud *verissimum*, quod etiam in tironem cadit, qui quidem se ad severas artis leges applicet judicioque et exercitatione ad summa quaeque tendat, illud denique quo quemvis oratorem maxime uti par est; neque video quomodo is, qui

---

26) Remarks p. 167: *he must be an exceeding bad writer, who gives the description of a person by a word which plainly and openly denotes him to be a Senator, and then leaves it to us to understand something from which we are to gather that he was not a Senator!* Quid ergo? si condicionem Brutus adscripsisset: *si posset*, num melius scripsisset? aut ego, ubi dixero: *quid amplius ad Marklandum Brutus scriberet?* male scripsero, quia non cavero, ne lectores mei Marklandum et Brutum pro aequalibus habeant? Ceterum eodem exemplo cavillatur de loco qui est post Red. in Sen. c. 14: *qui si mihi quaestor imperatori fuisset, in filii loco fuisset*, ubi itidem vim condicionalem recte intellexit Gesnerus l. c. p. 241.

27) Ibid. p. 110: *who besides this Author ever said verissimum genus dicendi? what spirit of affectation could make him write in this manner, when optimum was become the settled form upon this occasion?*

cum Davisio ad Tuscul. III. 29 *verum* apud optimos scriptores *justi* et *recti* potestatem habere concedat, dubitare possit, num ut *recte scribere* (Philipp. X. 2) et *justa eloquentia* (Brut. c. 90) ita *verissimum dicendi genus* recte dicatur. Sic Cicero Philipp. XII. 2 *verissimas gravissimasque sententias* dixit, ubi nihil causae est cur cum nonnullis *severissimae* substituantur; sic pro Sestio c. 34: *hunc nemo erat quin verissime sentire diceret*, h. e. *rectissime*; sic Sallustius apud Servium ad Aeneid. XII. 694: *paucis quibus peritia et verum ingenium est abnuentibus*; multique alii qui laudantur a Pareo Lex. crit. p. 1285 et Intpp. Horat. Epist. I. 7. 98; immo universe Priscianus XVIII. 206: *nostri quoque verum pro justo et justum pro vero frequenter ponunt*; vel ut propius ad id quod res est accedamus, Quinctilianus II. 20. 4 *veram rhetoricen* et V. 12. 17 *veram imaginem orandi* appellavit; ipse denique Cicero Orat. III. 14: *vero*, inquit, *oratori quae sunt in hominum vita omnia quaesita audita lecta disputata tractata agitata esse debent*, cujus dicendi genus cur non eodem vocabulo *verum* appellemus? Sequitur sexta decima Bruti ad ipsum Ciceronem, quae ut nonnulla continet, quae ipsi mox magis ex scriptoris duritia quadam quam Ciceronianorum exemplorum imitatione excusabimus, ita plurima eorum quae Marklandus reprehendit, ne apud summum quidem oratorem quidquam offensionis haberent. An credibile est, in hac constructione: *Octavius is est*, *qui quid de nobis judicaturus sit exspectet populus Romanus*, vel tironem adeo haesurum esse, ut cum illo, *nisi Sibylla legerit, alium neminem interpretari posse* putet, idemque *a quo* pro *qui* exspectet, denique nullo alio modo se expediat, quam ut teterrimo scilicet soloecismo ab anacoluthia turpique scriptoris oscitantia veniam petat [28])? Taedet profecto longum esse de re in scholis pervulgata; attamen quoniam etiam nunc sunt, apud quos Marklandi auctoritas in hoc genere valere videatur, pauca exempla ex eorum numero subjeci, quibus jam Krügerus in praeclaro libro: Untersuchungen aus dem Gebiete der lateinischen Sprachlehre (Braunschweig 1827. 8) T. III, p. 240 sqq. elegantissimum hunc usum illustravit: Fin. II. 20: *aberat*

---

28) Remarks p. 35: *when he wrote the first part, he intended to have drawn it up in a different form, and to have added a verb which should answer to* qui, *as is always done in this form of expression by all writers, and in Cicero perhaps fifty times; but his memory seems to have fail'd him before he got to end of the sentence; so that he has left the former part of it, as he originally design'd it, with* qui, *and the latter, as if he had written in the former part a* quo. Ego vero puto, si *a quo* scriptum legeremus, multo majorem recentis originis suspicionem fore!

omnis dolor, qui si adesset, nec molliter ferret et tamen medicis plus quam philosophis uteretur; Nat. Deor. III. 14: *Heraclitum non omnes interpretantur uno modo; qui quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus*; Liv. XXX. 30. *agimus ii, qui quodcunque egerimus, ratum civitates nostrae habiturae sint* etc. In eadem epistola reprehendit, quod scriptum sit *exturbando Antonio*, in quo Taciti imitationem sibi cernere videtur; Ciceronem enim additurum fuisse *ex civitate*, neque in contrariam partem adhiberi posse pro Cluentio c. 5 et ad Att. VIII. 16, ubi ex reliqua oratione suppleri possit *domo* 29); at enim opinor eadem hujus quoque loci causa est, ubi quid supplendum esset, ei ad quem epistola dabatur dubium esse non poterat, nec si Cicero ad Att. XVI. 2 scripsit se *furcilla extrudi*, Bruti epistola spuria erit, quia non adjicit, unde Cicero Antonium exturbarit! Nec minor ejus reprehensionis levitas est, qua Latina esse negat haec: *sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram ac libertatem*; dicendum enim fuisse *nihil tanti fuit ut* aut *nihil tantum quo*; post *tanti* relativo locum non esse 30); qua in disputatione dupliciter peccavit: primum quod non intellexit *quo* non pro *ut* dictum esse, sed pro *ut eo*; deinde vero quod non perinde habuit, quem casum vocabuli quod est *tantus* relativum sequeretur 31); postremo eodem jure Virgilii Aeneidem pro spuria damnes, ubi itidem nullo praeterea exemplo scriptum est III. 453: *hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti, quin adeas vatem*, nisi hoc ipsum exemplum cum nostro ita comparare malueris, ut *quin* pro *quo non* dictum statuas; cf. Haasens ad Reisigii Vorlesungen p. 575. Quanquam is locus ex eo potius genere est, cujus Latinitati ex aliis scriptoribus praesidium petendum sit: ex ipso autem Cicerone tuebimur Bruti verba, ubi Ciceronis in promovendo Octaviano studia reprehendens: *scilicet*, inquit, *ut illo*

---

29) Remarks p. 43: *this expression is one of those from whence I imagine that the Author had read Tacitus, from whom he seems to have taken it, Annal. II. 2 . . . not so much because these two words are joined together, as because I do not find, that Cicero ever uses the verb* exturbare *in the sense here required without an ablative case . . . I know that the Author of the oration* pro domo sua *uses the word absolutely c. 42, but the true Cicero never writes in that manner, concerning place.*

30) Ibid. p. 47: *this I presume is not Latin . . . for tho'* quo *is often used for* ut, *yet I believe it never is nor can be, when* tanti *goes before*; cf. p. 125: *and that it would be as impossible for either of them to write deliberatly* nihil tanti fuit quo venderemus *. . . as it would be to have written* quorum venderemus!

31) Nam post *tantum* relativo locum esse ipse agnoscit allatis exemplis Fam. XII. 8; Verr. I. 18; III. 24; Planc. 32; quibus accedat Tuscul. III. 29: *nec vero tanta praeditus sapientia quisquam est, qui non idem clade subita frangatur sua* etc.

prohibito rogaremus alterum, qui se in ejus locum reponi pateretur. Marklandus negat *reponi* de personis dici postulatque *substitui, suffici, subrogari* [32]); ipse tamen Cicero ad Att. XII. 6 scripsit: *Aristophanem reposueris pro Eupoli*, neque apparet, quid offensionis habeat post red. ad Quir. c. 7: *in eo me loco, in quo vestris beneficiis fueram, iisdem centuriis, quibus collocaratis, reposuistis*, ubi ne locus quidem alii verbo foret, ut taceam in toto hoc metaphorico dicendi genere non certis subjectis certa verba adhaerere, sed omnia ab imaginis, quam scriptor sequatur, convenientia pendere; quod si homo *praeter spem in altissimo gradu alienis opibus positus* dici potest (pro Sestio c. 9) nulla causa est, quo minus alium, qui huic succedat, in ejus locum *reponi* dicamus. Ex eodem genere est quod obstrepit verbis: *vide quanto diligentius homines metuant quam meminerint;* nimirum diligentiam in iis tantum cerni, quae in nostra potestate sint; *metuere* autem *diligenter* neminem magis posse quam *pallere, tremere, aegrotare* [33]). Verum, neque aut Cicero aut quisquam unquam ita aliquem *diligenter metuere* dixit, ut qui *valde* vel *parum* metuat; at dixit *diligentem ad propulsandum metum* Philipp. X. 8, qui si in propulsando metu diligentia utitur, in eadem causa et metuit et diligens est, vel quod idem est, *diligenter* hoc est cum diligentia metuit; nec si *cautus timor* recte dicitur Ovid. Trist. III. 5. 65, diligentia autem vel maxime in *cavendo* cernitur (Philipp. VII. 1; XI. 4; Qu. Fr. I. 1. 14), in metu quoque diligentia habebit quod offendat. Longe alia causa est ejus *ἀκύρου*, quod ipse Cicero reprehendit ad Fam. XVI. 17: *valetudini fideliter inserviendo*, si quidem fidelitati in valetudine locus omnino non est; Bruto autem recte et ordine dicere licebat, *majorem hominem diligentiam in futuris malis extimescendis quam in recordandis beneficiis praeteritis apparere;* quod si vel illud Tironi, ipsius Ciceronis aequali ac contubernali, excidere potuerat, quid de hoc dubitemus, cui neque usus repugnat et ratio satis superque constat? De aliis locis, quorum paulo impeditior ratio est, postmodo disputabi-

---

32) Remarks p. 93: *we might desire him to show us, from Cicero or some other good writer, where he finds that a person, who succeeds another in any post, is said reponi in ejus locum.* Nescio num inter probatos auctores Valerium Flaccum referat; at is certe prorsus idem exhibet, quod Marklandus sibi ostendi jubet, Argonaut. VI. 742: *ruit ecce ferox in funera Perses, quem genitor Colchis solioque reponere fratris statuerat!*

33) Ibid. p. 206: *if you or I had made use of the expression diligenter metuere, we ought not to have taken it ill if any body had call'd it nonsense . . . the adverb magis would have suited the purpose here.*

mus; quod autem de usu particulae *enim* in hac epistola argutatur, eumque adeo inter praecipua pravitatis signa numerat [34]), quamvis et ipsum in sententiarum potius quam verborum ignoratione positum sit, tamen ad insignem hominis temeritatem demonstrandam jam nunc paucis exsequemur. Sic ubi Brutus Ciceronem monet in illa via *non modo reliqui temporis gloriam sibi erepturum, sed etiam praeterita in oblivionem redacturum esse, quia nemo magis vel ingenio rebusque gestis vel studio atque efflagitatione omnium ad reipublicae amorem libertatemque defendendam vocetur*, ante particulam *quia* haec interposita sunt: *nihil enim per se amplum est, nisi in quo judicii ratio exstat;* ubi Marklandus parenthesin recte agnovit, sententiam autem non intellexit [35]), quae luce clarius haec est, vel clarissima facta per se quidem ampla non esse statimque evanescere, simulatque intellectum sit ea casui potius ac fortunae quam rationi et judicio deberi: *nunquam enim*, ut est pro Marcello c. 2, *temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur;* cavendum igitur esse Ciceroni, ne si nunc famae atque exspectationi hominum desit, etiam priora illa fortuito gessisse videatur. Item in antecedentibus displicet censori parenthesis *juvat enim magnifice loqui* etc., cui negat rationem constare cum proximis: *non dicam pro liberatoribus orbis terrarum*, scribendumque fuisse ait *nedum* pro *non dicam* [36]); at id ipsum *nedum* raro tantum apud Ciceronem legitur [37]), multo saepius eadem significatione *non modo* vel *non dicam* [38]), nec si hoc plerumque in priori sententiae membro collocatur,

---

34) Remarks p. 213: *I shall conclude this section, after having brought two or three more instances of our Author's manner of using this particle* enim; *for there is nothing that shews a skillfull and good writer, or discovers a bad one sooner than this single word.*

35) P. 210: *but what may be the design of the intermediate sentence . . . I willingly leave to better logicians to explain; for if there be any connexion between it and what goes before, it is more subtile than I am aware of; tho' I know, that an ordinary reasoner and writer of ancient and true Latin and sense, would have said something like this: nihil enim amplum est nisi cui* aequabilitatis *ratio* constat!

36) P. 212: *that is, he first denies that he will call himself so . . . and immediately gives a reason which stands for nothing unless he does call himself so . . . instead of* non dicam *he should have said* nedum, *and I should think that a more correct writer would have put the whole thus: nedum pro liberatoribus (juvat enim magnifice loqui . . adversus ignorantes quid . . a quoque petendum sit) orbis terrarum!!*

37) Reisig Vorles. p. 437: *bei Cicero ist* nedum *sehr selten; er pflegt statt dessen* non modo *zu setzen.*

38) Planc. c. 33: *ut beneficio* non dicam *indignus sed victus videare.* Sest. c. 50: *indignissimum putavit illum* non dicam *loqui, sed vivere ac spirare.* Marc. c. 2: *quae* non dicam *exornare, sed enarrare res tuas gestas possit.* Att. IV. 3: *gemitu* non dicam *bonorum, sed plane hominum omnium etc.*

minus ideo probabilis inversio erit, cujus etiam *non modo* satis multa exempla praebet [39]). De his: *fateor enim duriorem esse condicionem spectatae virtutis quam incognitae*, duobus verbis moneo causae redditionem spectare ad initium sententiae antegressae: *te, Cicero, rogo atque hortor, ne defatigere* etc., quo Marklandus oculos attollere noluit [40]); in totius autem epistolae principio satis eum mirari non possum, qui male inter se coire dicat quae Brutus scribit: *studium tuum curaque de salute mea nulla me nova voluptate affecit; non solum enim usitatum sed etiam quotidianum est aliquid audire de te quod pro nostra dignitate fideliter atque honorifice dixeris aut feceris.* Rectius ait scripturum fuisse, si *salutem* pro *dignitate* et *dignitatem* pro *salute* posuisset; illam enim ampliorem esse dignitatemque velut genus speciem complecti; ut nunc legatur, perinde esse ac si *usitatum* pro *quotidiano* et *quotidiano* pro *usitato* substituisset [41]). Itane vero? Si Cicero pro Plancio c. 32: *ullum*, inquit, *tantum esse periculum putas, tantam contentionem, quam ego non modo pro salute tua, sed etiam pro dignitate refugerem?* utrum major est salus, quae in statu tantum hominis conservando cernitur, an dignitas, quae tota ad splendorem et gloriam ejus tuendam pertinet? vel si Philipp. VII. 2 Pansam *in asperrimis belli civilis periculis non modo salutis sed etiam dignitatis suae fautorem* fuisse praedicat, plurisne fecit vitam, quam Pansa sibi servasset, an locum senatorium et consularem, quem illius beneficio retinuisset? ut mittam de domo c. 28, quam orationem quamvis ipse Marklandus in testimonium adhibeat, tamen fide dignam fortasse non censeat, ubi *nullum in urbe collegium, nullos paganos aut montanos fuisse* ait, *qui non amplissime non modo de salute sua* h. e. de reditu, *sed etiam de dignitate*, h. e. de

---

39) Philipp. II. 41: *quos clientes nemo habere velit, non modo esse eorum cliens.* Fam. I. 9. 21: *nullum meum minimum dictum, non modo factum pro Caesare intercessit.* Att. IV. 14: *secundas etiam res, non modo adversas pertimescebam.* Ibid. VIII. 16: *nihil praetermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilem.*

40) Remarks p. 216: *his proposition is, that there is no such thing as a brave and free mind, without constancy and equability. Why? because, says he, I confess that the case of tryed virtue is harder than that of untryed. Is this a proof of the foregoing proposition? It is as much a proof of transubstantiation. An older writer would have said quidem or autem!*

41) Ibid. p. 214: *for salus contains a great deal more than dignitas, which is only a part of the former, and concerns chiefly a man's honour and authority . . . but salus comprehends all this and much more . . . and accordingly they are always distinguished as the greater and the less;* moxque p. 215: *change the place of the two terms and put dignitate in the first part of the sentence and salute in the last, and it will make a much truer argument!*

primario in republica loco *decreverint.* Tantum igitur abest, ut qui aut suam aut alterius *salutem* expetat, eadem opera ejusdem *dignitatem* comprehendat, ut Cicero ad Fam. VII. 21 vel *amissa reip. dignitate* se *salutem retinere voluisse* scribat, quumque *utilitatis*, ut est de Invent. II. 56, *duae partes esse videantur, incolumitas et potentia*, illa hac facile carebit, haec sine illa diuturna esse nequit; quod si Brutus vel quotidiano usu Ciceronem *salutis* suae studiosum cognovisset, *dignitatis* fautorem inde colligere non poterat, qui autem pro *dignitate* saepe fideliter et honorifice dixerat, eidem *salutem* suam cordi esse ultro intelligebat. Nec justior reprehensio est epistolae decimae, cujus eandem causam esse ait, ut ordinem verborum *labefactare* et *movere* perverterit in his: *sed ita multa labefactant, ut ne moveatur interdum extimescam* [42]); ipso enim motu res labefactari, non labefactando moveri, dicendumque fuisse *ne funditus evertatur*, ut Verr. III. 18: *labefactarat enim vehementer aratores jam superior annus, proximus vero funditus everterat.* At si ita Cicero scripsisset, longe aliud dixisset ac quo tota ejus sententia continetur, Octaviani praesidium adhuc quidem sibi firmum videri, adeo tamen multos illud convellere et in diversas partes rapere, ut interdum timeat ne velut statione illa firma relicta horum tentationibus cedat; quod cur non liceat *moveri* dicere, nulla ratio est, nec quia interdum res moveri necesse est, ut labefactentur, inde sequitur ut quod sua quadam vi ac robore firmum stet, statim primis velut ictibus corruat et loco suo pellatur. Sic, ut hoc utar, eos quorum fidem Cicero pro Cluentio c. 68 narrat Sassiam *pretio labefactare conatam esse*, censemusne hac ipsa re jam motos esse, an potius quia res intra conatus substitit non motos? vel quo ex genere plurima Marklandi exempla sunt, si quid terrae motu labefactatum non concidat, nonne ejus immobilitatem dignis laudibus praedicabimus? postremo ut appareat in homine certe, qui sua virtute et constantia niti debeat, multo majore vi opus esse ad *movendum* quam ad *labefactandum*, Laberii verba legamus ex praeclaro illo prologo mimico apud Macrob. Saturn. II. 7:

quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,
nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas,
movere poterat in juventa de statu,
ecce in senecta ut facile labefecit loco

---

42) Remarks p. 49: *that is: but there are so many who make him totter, that I am sometimes afraid lest he should be moved; which is as if you should say of a bad writer, that he makes mistakes not only in every line, but even in every page! He ought rather to have transposed the words etc.*

viri excellentis mente clementi edita
submissa placide blandiloquens oratio.

Quod autem Marklandus per se quidem recte monet *labefactandi* vim non in conamine tantum verum etiam in effectu cerni [43]), eo ipso exemplo aliud ejusdem argumentum impugnare licet, quo dici non potest quantum sibi in harum epistolarum fide elevanda plauserit, de verbis epistolae undecimae: *huic persuadere coepimus, ut imperator in castris remaneret remque publicam defenderet,* ubi contendit *suadere* potius scribi debuisse, hoc enim facientis, *persuadere* perficientis esse [44]). At eodem exemplo Cicero ad Fam. XII. 25: *nec postea destiti labefactare eum, qui summa cum tua injuria contumeliaque rei publicae provinciam absens obtinebat;* quo in loco aut illud concedendum est, *labefactare* ad solum dejiciendi conatum spectare, aut intelligendum, etiam ea verba, quae perficiendi vim habeant, cum iis, quae ad conatum spectent, interdum ita jungi posse, ut is ipse conatus perficiendi spem habere videatur. Nempe *coepi suadere* nihil nisi simplicem conatum declarat; *coepi persuadere* significat me in eo fuisse ut persuaderem alterumque verbis meis jam ita labefactatum esse, ut spes esset fore ut moveretur; quae si tunc Bruti causa fuerat, nihil impediebat, quominus ita scriberet; sin non fuerat, ne id quidem quod Marklandus vult, *coepi suadere,* sine offensione scribere poterat, quia tum *suasi* suffecisset, nostroque jure quaereremus, cur id, quod in ipsius potestate erat, incipere tantum, non facere maluisset! In quarta quoque libri primi inepte argutatur Marklandus, quum neget licuisse dicere: *quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animum;* quibus in verbis duas res reprehendit: primum quod *liceat* dictum sit pro *possit;* licere enim id tantum, quod *legibus aut more majorum institutoque concedatur;* deinde quod *largitiones* solae sine *honorum* vocabulo commemorentur, quo omisso ambiguitatem existere arguit. At de prioris vocabuli usu ipsum Ciceronem testem

---

43) Remarks p. 49: *a person who pushes another from him with his hand, tho' ever so gently, does* movere *illum; but if he does it so violently, as to cause the other to stagger and to be near falling down, he does* labefactare *illum, and therefore* movere *always goes before* labefactare *in the order of nature.*

44) P. 27: *he certainly meant* suadere coepimus, *but did not know, or had forgot, the difference between* suadere *and* persuadere . . . *which looks more like the blunder of a modern school-boy than the writing of an antient;* cf. p. 125: *and this little instance of bad Latin seems to be as certain a proof of the forgery of these letters, as* coepimus persuadere *or any of the above-mentioned, which have a more glaring appearance of ignorancy in the Latin tongue.*

adhibuit Tuscul. V. 19, *sermonis errore labi*, qui id etiam ad *peccata* transferat; quod si non de elegantia, sed de origine alicujus epistolae agitur, non video cur hanc a Bruto abjudicemus propter negligentiam, in qua ipse Cicero aequalium errorem agnovit [45]); tantumque abest ut hic minus sibi in hoc vocabulo indulserit, ut in ipsis Tusculanis identidem *licere* dicat, quae quo minus fiant nihil obstet; cf. I. 12: *idque quum multis aliis rebus, tum e pontificio jure intelligi licet*; I. 38: *quare licet etiam mortalem esse animum*; inque primis V. 15: *non sunt igitur ea bona dicenda nec habenda, quibus abundantem licet esse miserrimum.* Quanquam nunc ne negligenter quidem, sed elegantissime scripsisse Brutum dixerim, qui quum proclivitatem corruptionis declarare vellet, non simplici potestatis vocabulo sed eo usus est, in quo simul illud contineatur, ubi semel animos largitionum dulcedine corruperis, nulla re prohiberi posse, ne ad prava consilia delabantur, omnia velut arbitrio alterius permitti; quo exemplo etiam de Offic. I. 7: *quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellari licet*, non potestatis tantum, sed arbitrii vim intelligimus; neque aliter de Divin. II. 14: *sexcenta licet ejusmodi proferri*, h. e. in promtu sunt ubi proferre voluero, quod in *possunt* non inesset. Quod autem de *largitionibus* cavillatur, in communi et universa sententia, qualem nunc Brutus profert, ne addi quidem poterat propior definitio, quin multo justiori cavillationi locum daret quaerendi, num honorum tantum largitas animos ad mala consilia traduceret; nec postquam hoc concessit, ut debuit, Marklandus, verbum quod est *largiri* non magis ad pecuniae quam ad cujuscunque alius beneficii profusionem spectare, vel omnino contendere poterat quemvis hominem Romanum, qui haec legeret, de sola pecunia cogitaturum fuisse [46]), nedum Ciceronem, qui ex toto epistolae tenore facile intelligebat, quod etiam paulo

---

45) Mira profecto est cavillatio velut exprobrantis, quod usum potius optimorum scriptorum quam argutam rationem secutus sit, p. 61: *now tho' it cannot be denied, that this use of the verb which Cicero here finds fault with, is often to be met in Latin writers, especially poets and orators, in the sense of power, howsoever applied, lawfully or unlawfully; yet even the construction and form of the composition is different in the antients from this of our Author, who would have done better had he taken Cicero's hint concerning this word, and instead of it had put possit or soleat!*

46) Ibid. p. 59: *I believe any antient Roman, who had read this sentence, would have taken it in this latter sense* (bribery) *and could have taken it in no other; unless it can be made appear by instances, that honours confered by the Senate as well as bribes may be called simply largitiones!* Honorum exemplum non suppetit; corruptelae vero largitionem vel opponi posse ostendit pro Sestio c. 49: *ipsa enim largitio et spes commodi propositi sine mercede ulla multitudinem concitabat.*

post claris verbis legitur, *nullam rem a se desiderari nisi modum in honoribus tribuendis!* Verum enim vero omnino id Marklandi fastidium est, ut quaecunque sibi peregrino homini totque saeculorum intervallo a rebus gestis remoto non ipsis literis clara et certa occurrant, continuo non ut interpretem decet obscura aut ambigua sed falsa pronunciet, neque in eo tantum subsistat, in quo alii jam valde sibi plaudere solent, ut si quid ipsi minus placeat, pro corrupto emendare conetur, sed statim integram epistolam aut orationem spuriam esse judicet; quo de genere multo sanius jam Gesnerus existimavit p. 257: *talia possunt obscura esse qua de re agatur ignorantibus, scientibus ipsa molesta nimia explicatio;* neque adeo dubito quin ut multa alia, quae rectius scribenda fuisse Marklandus censuit, ita haec quoque, quae nunc desiderat, si revera addita essent, cupido homini non minorem putidae scilicet diligentiae criminationem datura fuissent. Sic in oratione post reditum in Senatu c. 4 reprehendit, quod *ne pedibus iret* dictum esset omisso *in sententiam,* ubi docte monuit Savelsius hoc additamentum nusquam legi nisi ad certi hominis sententiam referretur; nec cautiorem se exhibuit in epistola libri primi septima, ubi ignarissimum Latini sermonis scriptorem fuisse affirmat, qui satis habuerit de L. Bibulo dicere: *in Pansae locum petere constituit,* neque magistratum addiderit, quem is potissimum petere vellet [47]. Quem petierit, nunc non quaerimus, quanquam *nominatio*, quam proxime Brutus a Cicerone flagitat, vix dubitari patitur, quin de auguratu sermo sit [48]; sed ut nobis nunc legentibus ambiguum sit, Ciceroni, qui et Pansae et Bibuli condicionem novit, obscurum esse non poterat; nec si vel rarior esset haec ellipsis, quam revera est, plus offensionis habere posset, quam in multis aliis verbis, quae solemni usu sine propiore definitione usurpantur. Ejus quod est *petere* unum exemplum novit Marklandus pro Sestio c. 64: *biennio quo quis petierit aut petiturus sit;* non legerat igitur ad Att. I. 1: *de iis, qui nunc petunt, Caesar certus putatur*, aut pro Murena c. 8: *mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis peterem*, ut mittam Sallust. Jugurth. c. 63: *tamen is ad id locorum talis vir petere non audebat,*

47) Remarks p. 63: *here therefore our Brutus discovers great ignorance in the Latin tongue and writes (I will venture to affirm) as no antient Roman Author ever did, when he says that Bibulus intends to be a candidate for Pansa's place, without any mention or hint, what it was that he intended to be a candidate for!*

48) Praeclare hoc ipse Marklandus intellexit p. 64—66, ut mireris Drumannum T. II, p. 105 in Norisii sententia haerere, qui de pontificatu somniavit.

et c. 64: *a Metello petundi gratia missionem rogat*, ubi plura Kritzius p. 343; aliorum autem verborum structuram ellipticam praebent Philipp. II. 6: *hodie non descendit Antonius* scil. in forum; Att. XV. 29: *ait hic sibi Juliam ferre* scil. condicionem; Fam. XII. 6: *Brutus enim Mutinae vix jam sustinebat* scil. obsidionem; ibid. XII. 25: *conscende nobiscum* scil. navim; pro Sestio c. 18: *inimici mei fratrem praefecerat* scil. militibus etc.

Hactenus de iis, quae quum aut Marklandus aut Tunstallus ab optimorum scriptorum usu abhorrere dixissent, ipsius plerumque Ciceronis exemplo vindicari potuerunt; quo in genere quum satis illorum aut levitas aut calumnia spectata sit, in iis quoque, quorum non prorsus gemina exempla exstant, quorumve Latinitas apud alios tantum scriptores patrocinium inveniat, non tanta eorum auctoritas erit, ut talia a Cicerone ejusve aequali omnino dici non potuisse ipsis affirmantibus credamus; praesertim in epistolis, quarum ipsa natura hoc fert, ut et omnino remissiore dicendi genere utamur, quam in iis quae ab omnibus aut a posteris legi cupiamus, et multa vocabula usurpemus, quae magis ad familiarem sermonis formam quam ad justae orationis dignitatem pertineant. Ipse adeo Cicero, quamvis verborum quoque, ut ait Gellius XIII. 24, diligentissimus alienique sermonis acerrimus exactor, in epistolis tamen multa sibi indulsit, quorum auctoritatem ex quovis comico potius quam ex ipsius orationibus disputationibusve philosophicis petere liceat; aequales autem quomodo interdum scripserint, vel ex iis intelligimus, quae Antonio in hoc quoque genere exprobrat [49]), quorum si vel minima pars in Bruti epistola aliqua legeretur, Angli nostri manifestum sophistam infimaeque barbariae hominem teneri exclamarent; nec si jure meritoque viri docti plerosque illorum, quorum epistolae ad Ciceronem datae in Familiarium libris exstant, ad imitandum minus aptos censuerunt [50]), solum M. Brutum ita ex hoc

---

49) Philipp. III. 9: *sententiolas edicti cujusdam memoriae mandavi, quas videtur ille peracutas putare, ego autem qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. Nulla contumelia est quam facit dignus. Primum quid est dignus? nam etiam malo digni sunt multi sicut ipse. Quid est porro facere contumeliam? quis sic loquitur? Deinde: nec timor quem denunciat inimicus. Quid ergo? ab amico timor denunciari solet? Horum similia deinceps.* Ibid. XIII. 18: *utrum, dicit, elegantius! atqui hoc bello de elegantia quaeritur!* moxque c. 19: *tu porro ne pios quidem sed piissimos quaeris, et quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, novum inducis.* Adde ibidem *odivit*, quo certe nec Cicero nec quisquam elegantiorum scriptorum usus est, Octavianique exprobrationem apud Sueton. c. 16: *M. quidem Antonium ut insanum increpat, quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines quam intelligant* etc.

50) Instar omnium sit mihi Krebsius in Antibarbaro p. 7: *von geringerem Werthe, und daher versich-*

numero eximemus, ut nisi omnia, quae ipsius nomine feruntur, subtilissimae sermonis elegantiae ad amussim convenerint, illico non modo mendum, quo nemo scriptor facile careat, sed falsum subesse criminemur. Quid quod ipsius Bruti orationem Ciceroni neutiquam probatam fuisse quum aliis ex locis tum insignissimo Dialogi de Oratoribus c. 18 apparet, ubi ex ipsis eorum epistolis deprehendi dicitur, Brutum Ciceroni *otiosum atque disjunctum* visum esse; utque hoc judicium ad totum potius dicendi genus quam ad elocutionem pertineat, in qua ipse Cicero aliquando summam ejus artem agnovit [51]), exstat tamen etiamnunc inter Ciceronianas epistola Bruti et Cassii praetorum ad Antonium consulem, quae si, ut videtur, Bruti manu scripta est, unam is verborum structuram admisit, quam apud Ciceronem nusquam, neque omnino praeterea ut arbitror apud ullum pedestris orationis auctorem deprehendas [52]); postremo si identidem Angli nostri hoc potissimum falsi Bruti indicium prae se ferunt, ut se ejus verba intelligere posse negent, eadem Ciceronis in vero Bruto fortuna fuit, cujus literas, quarum exemplum Attico mittit XV. 28, se ipsum queritur vix interpretari potuisse! Quod autem Tunstallus inde quoque calumniandi ansam arripuit, ut tantam utriusque epistolarum similitudinem esse diceret, ut vix a duobus hominibus scriptae viderentur [53]), id quale habendum sit, commodissime ex ipsius sodale cognoscitur, qui quum omnino, si recte numeravi, quinquaginta sex locos in hac collectione reprehenderit, in novem Bruti epistolis totidem offendendi occasiones quot in sedecim Ciceronis invenit, inque una illa sexta decima, quam ipse alioquin magnis laudibus extollit [54]), plura peccata contra sincerum Latinitatis usum detexisse sibi visus est,

---

tig zu gebrauchen und nachzuahmen, sind . . . die meisten Epistolographen in beiden Sammlungen der Briefe Cicero's.

51) Att. XV. 1: *est autem oratio scripta elegantissime sententiis, verbis ut nihil possit ultra; ego tamen, si illam causam habuissem, scripsissem ardentius.*

52) Fam. XI. 2: *nos ab initio spectasse otium neque quidquam aliud libertate communi quaesisse exitus declarat.* Poëtarum exempla comparat Schmidius ad Horat. Epist. I. 16. 20. Illud quoque vix Ciceronianum, quod in fine legitur: *quum de nobis certum sit nos quieturos;* ita tamen etiam D. Brutus XI. 9: *de Pollione puto te perspicere quid facturus sit;* Lentulus XII. 14: *de nostra dignitate velim tibi ut semper curae sit* etc.

53) Observ. p. 365: *that in the letters of both the parties there is a general sameness of reflection and a style and manner of writing perfectly similar, even in impropriety; and a laboured and precise punctuality, both in diction and sentiment, as plainly betray their scholastic origine* etc.

54) Remarks p. 20: *for as to Brutus's other famous epistle . . there are so many and so strong objections to it, that I think it must needs be the performance of one who had but a very moderate knowledge of the Latin tongue, and as small a share of sound judgement; tho' it must be confest, that the*

quam universis illis sedecim Ciceronis exprobravit; quibus omnibus comprehensis, quum et omnino iniquissime facturus sit, qui in epistolis justi libri diligentiam exigat, neque aequales Ciceronis eandem omnes ad hoc genus curam attulisse constet, ipsum denique singularum personarum discrimen suspicionem falsi insigniter elevet, vel si quid minus concinne aut insolite dictum occurrerit, promtiores nos ad excusationem quam condemnationem esse oportere arbitror. Quanquam ne illorum quidem, in quibus Marklandi nasus offendit, ea plerumque condicio est, ut excusationem magis quam explicationem flagitent, nec si singulis exemplis e Cicerone careant, aut aliorum scriptorum testimoniis aut universa Latini sermonis indole ac natura destituantur. Sic, ut jam primum reliquas sextae decimae reprehensiones absolvamus, haec, quibus ille sensum inesse negat [55]: *vindici quidem alienae dominationis, non vicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de re publica liceat esse salvis?* jam Orellius nulla emendatione egere monuit, laudato Ulrichii programmate Turicensi a. 1797, quod nec mihi nec diligentissimo harum literarum bibliographo Schweigero nostro innotuit, neque opinor alieno auxilio opus est ad intelligendum, quantopere Marklandus caecutierit, qui primum quidem *nedum* pro *non* scribendum fuisse contendit, deinde vero hoc posito nec *quidem* recte dictum esse arguit, totamque sententiam ita conformari debuisse ait: *ne vindici quidem alienae dominationis, nedum vicario, nemo supplicat,* vel: *non modo vicario sed ne vindici quidem nemo supplicat.* Non equidem nego, ita quoque scribere potuisse Brutum, cui ipsi utique non vindex sed vicarius Caesarianae dominationis Octavius esse videbatur; at si Ciceronem reprehendere volebat, ad hujus potius sententiam respiciendum erat, ut ille intelligeret, propter id ipsum, quod Octavium pro libertatis defensore venditaret, turpe esse eidem tanquam dominationis vicario supplicare. Dominum enim ejusve vicarium qui habeat, eum illi etiam supplicare decet, quique alteri supplicat, hac ipsa re illum pro domino agnoscit; sin eundem non vicarium alienae dominationis, sed libertatis vindicem haberi cupiat, secum ipse pugnabit, si ei pro civium optime de re publica meritorum salute supplicabit. Nec deterior causa est duorum sequentium locorum, quae censori nostro

---

sentiments are great and generous and worthy of an antient Roman; cf. p. 110: *who, while he is expressing noble sentiments and such as are not unworthy of the true Brutus, forgets the language of Brutus.*

55) Remarks p. 105: *it is impossible to give a version of the context as it now stands, so as to make any sense of it; but it is no difficult matter to perceive, where the mistake of the writer lies, namely in the word* non, *which he unskillfully puts instead of* non modo *or* nedum, *much less!*

displicuerunt: *neque magis irritatus esset Antonius regno Caesaris, quam ob ejusdem mortem deterritus*, et: *ut esset sui juris ac mancipii res publica*; quorum in priori ablativo casu dicendum fuisse ait *morte*, in altero autem *mancipii* vocabulum prorsus alienum esse judicat 56). At enim vero de illo vide ne aliud sit *ob mortem alicujus deterreri*, aliud *morte*, si quidem praepositio externam causam continet, propter quam metus oritur, qui hominem deterret, ablativus autem velut instrumentum declarat, quo terror efficitur; nec si id discrimen subtilius videatur, quam quod in singulis exemplis homo Romanus animadverterit, testimonia desunt, quibus promiscuus utriusque constructionis usus probetur. Sic Livius XXI. 2 *ob iram* dixit, ubi IV. 50: *ne metu quaestionum plebs iraque tribunos militum ex plebe crearet*; sic Tacitus Ann. I. 68: *raro super milite et quasi ob metum defixo*, quumque apud Livium legatur XXXIV. 4: *diversis duobus vitiis, avaritia et luxuria, civitatem laborare*, Horatius Serm. I. 4. 26 ablativum et praepositionem conjunxit: *aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat*, ubi Orellius plura ejusdem enallages exempla attulit. De *mancipio* autem raram, audacem, singularem metaphoram esse facile concedo, soloecam non item, neque video, quomodo in Bruto, qui multis in rebus a vulgi consuetudine recessit, illud offendere possit, quod in summo animi fervore atque indignatione per inusitatam dicendi rationem sententiae suae vim augere quam trite et vulgariter loqui maluerit 57). Latine dici potuisse *sui mancipii* rem publicam esse, ipse Marklandus demonstravit adhibito Seneca de Benef. V. 19: *mei mancipii res est, mihi servatur*, nec quisquam negabit, qui apud JCtos identidem legerit: *qui in potestate eorum vel manu mancipiove, item quorum in potestate manu mancipiove sunt*; ut autem *sui juris ac mancipii* dicere mallet quam *arbitrii* aut *potestatis*, hac ipsa re motus est, quia totum argumentum, de quo disputat, in eo versari videbatur, utrum res publica libera an alieni mancipii esset neque aut magistratum aut arbitrum aliquem sed dominum recusaret an reciperet. Paulo justior est reprehensio aliarum duarum phrasium: *nihil quo expleri possit eorum meritum*, et: *neque jam revocari in integrum potest*, quibus aliquid κακοζηλίας inesse facile patior; falsarii tamen manum, quem aliena potius quam sua exempla sequi consentaneum fuerit, eo minus in his agnosco, quo facilius ex usitata utriusque sermonis praegnantia

56) Remarks p. 43 sqq.

57) Ibid. p. 46: *from this variety of expression you see, that there was no want of a proper phrase, could our Author have been contented to write like other people!*

explicari possunt. Ipse Marklandus cum priori loco comparat Livianum XXXI. 32: *quum praecipitata raptim consilia neque revocari neque in integrum restitui possint*; quod autem ita hoc utitur, ut falsarium scilicet inde suam formulam confudisse suspicetur [58]), partim doctiorem partim ineptiorem hominem statuit, quam par est, multoque simplicius fuerit ipsi Bruto hoc artificium tribuisse, quo in integrum restitutio, quae revocationem sequitur, per anticipationem, ut grammatici loquuntur, cum hac ipsa pro attributo vel adverbio jungatur. Proprie enim *revocare* est *irritum facere*, unde etiam M. Seneca in loco a Marklando laudato Controv. IV. 26: *placet mihi in irritum revocari quae gesta sunt*; cf. Ovid. Met. IX. 617: *si facta mihi revocare liceret*; Tac. Ann. XIII. 26: *ut adversus male meritos revocandae libertatis jus patronis daretur*; inde autem necessario sequitur, ut quod mutatum fuerat, integritati suae reddatur, ut v. c. exuli revocato *integrum est* in patriam redire; eodem igitur jure *revocari in integrum* dici poterit, quo Erinys apud Virgil. Aen. VII. 445 *exardescere in iras* aut Thusnelda apud Tac. Ann. I. 57 *in lacrimas vinci*, vel ut etiam similiorem locum adhibeam, Germ. c. 23 *humor ex hordeo aut frumento in similitudinem vini corrumpi*, h. e. corruptus in similitudinem abire; neque adeo magnum discrimen hujus locutionis ab ea erit, qua L. Seneca de Benef. II. 20 Brutum existimasse ait *civitatem in priorem formam posse revocari*, aut ipse Cicero Brut. c. 3 *se ex diuturna perturbatione totius valetudinis ad aspiciendam lucem esse revocatum* praedicat. Meriti autem, quod *expleri* posse Marklandus negat [59]), certe similis natura est quae spei vel officii, quibus id verbum convenire ipse concessit; neutri enim satis fieri potest, nisi plene ac cumulate respondeatur; quamvis igitur planius dixisset: *nihil quo aequari possit eorum meritum, tributurum unquam populum Romanum*,

---

58) Remarks p. 39: *one would imagine, that this expression was borrowed from Livy; but that through failure of memory one word was put in instead of an other, revocari instead of restitui . . . but whencesoever it came hither, I believe we may savely affirm, that revocari in integrum is not to be found in any good Latin writer, notwithstanding that restitui and revocari may be used indifferently upon other occasions!*

59) Ibid. p. 100: *there can be no doubt of what the Author intended . . . but the meaning looks one way and the words another*; cf. p. 103: *hence he seems to have concluded, that as explere iram or desiderium signifie satiare, to satisfie one's anger or longing, so explere meritum may signifie to satisfie their merit; not considering that the things and the reasons of them are of a quite different nature, and that the merit of Brutus and his friends cannot by any metaphor, consistently with the sense of the place and the Author's meaning and intention be said to crave and want to be filled or satisfied.*

id ipsum tamen facile intelligitur etiam *explendi* vocabulo inesse, si quidem ita tantum beneficium gratia exaequari potest, ubi nihil ad illius modum desit, simulque inest significatio *exspectationis* cum merito conjunctae, qua Brutus se praemium non modo meruisse sed etiam expetere et postulare declarat. Sequitur locus satis expeditus, in quo tamen dici non potest quantas turbas Marklandus dederit, adeo ut vel solum illum cum paucis ad totum epistolarum librum condemnandum sufficere existimaverit: *te Cicero rogo atque hortor, ne defatigere neu diffidas: semper in praesentibus malis prohibendis futura quoque, nisi ante sit occursum, explores ne se insinuent;* ubi praesentium malorum prohibitionem contradictionem in adjecto continere clamat [60]), nec suis se ipsum armis peti posse videt. Nimirum recte monet *prohibere* idem esse quod *procul habere*, ideoque intervallum significare, quo rem aliquam a nobis remotam tenere studeamus; atqui id intervallum duplex esse potest, aut loci aut temporis, tantumque abest ut quae a nobis prohibeamus tempore pariter ac loco distare necesse sit, ut pleraque eorum, quorum vim procul arcere conemur, non cogitata tantum sed vera ac viva adsint; quod si ipsa *futurorum* oppositio docet, *praesentia mala* de tempore intelligenda esse, ne ambigi quidem licet, quin *prohibere* ad locum spectet, quo Cicero ea velut a corpore rei publicae procul habeat. Postremo in his verbis: *idem Cicero si flexerit adversus alios judicium suum, quod tanta firmitate et magnitudine direxit in exturbando Antonio,* praeter ipsum *exturbare,* de quo superius dictum est, duas res reprehendit, quarum alterius insolentiam, quod *magnitudo animi* vocabulo caret, facile agnoscimus, de altera autem assentiri ei neutiquam possumus. Nempe scribendum fuisse ait *ad exturbandum Antonium*, quia ita tantum id quod est *dirigere* struatur [61]), in quo denuo ostendit se subtiliora constructionum discrimina non intelligere; aliud certe est *ad exturbandum,* quo id ipsum ei propositum fuisse

---

60) Remarks p. 31: *this is the same inconsistency in language and sense, as if you were to say procul adjacet or longe adest; for praesentibus supposes the evils he is speaking of to be actually upon us, and prohibendis implies at the same time that they are to be kept at a distance from us; so that he is pulling you forward with one hand, and pushing you back with the other;* cf. et p. 126.

61) Ibid. p. 42: *the expression dirigere judicium, to guide or direct the judgement or faculty of judging (I cannot find that it has any other signification) besides that it is not at all to the purpose here, has usually join'd with it the thing by which the judgement is guided or directed etc.* moxque p. 43: *the whole sentence looks like the crude conception of a young and unjudicious writer, who not understanding the language in which he wrote, aimed at something which he was not able to express, and has left it to us to make what we can of it.*

dicitur ut exturbaret, aliud *in exturbando*, h. e. tum quum Antonium exturbaret, nec si plerumque *dirigere* adjunctam habet rem vel locum, in quem aliquid dirigatur, ideo nunc quoque necesse est; ubi Brutus ipsum velut cursum judicii laudat, quem Cicero tanquam gubernator (pro Sestio c. 45) in tempore illo Antoniano tenuerit. Judicium enim comparatur navi, quae etiam non addito loco, quem petat, propter ipsum cursum recte aut secus dirigi dici potest, ut apud Cic. de Nat. Deor. II. 53 ab Etesiis ventis *etiam maritimi cursus celeres et certi diriguntur*; hoc igitur si jam ita flectere jubetur, ut eadem judicii firmitate etiam Octaviano occurrat, non invenio quod aut soloecum aut alienum a scriptoris proposito dici possit. Restat *magnitudo*, quam negari nequit raro tantum sine *animi* additamento ad ingenium moresque referri [62]), nec si quis simpliciter *magnus homo* dicitur, iccirco solam ejus *magnitudinem* praedicari, ut ad Att. IV. 6: *virum bonum et magnum hominem et in summa magnitudine animi multa humanitate temperatum perdidimus*; num autem inde sequitur, ut propter unum vocabulum, quod in uno codice, cui has epistolas debemus, facile excidere poterat, tota epistola totusque adeo epistolarum liber in exilium pellendus sit? Quanquam ne id quidem necessarium est, ut quidquam de conjectura inseratur, modo *firmitatem ac magnitudinem* non ad subjectum, quod in ipsa Ciceronis persona cernitur, sed ad objectum, hoc est ad *judicium* retulerimus, quod ut *firmum* ita etiam *magnum* dici posse insigni Ciceronis testimonio Orat. c. 23 probatur: *magni igitur judicii, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille et quasi temperator hujus tripartitae varietatis*; quod si optimis exemplis summaque elegantia dici poterat *judicium*, *quod tam firmum magnumque direxit in exturbando Antonio*, neque ablativi illi, sive modi sive qualitatis appellaveris, quidquam offensionis habebunt.

Atque haec sufficiant ad eam epistolam purgandam, in qua impugnanda longe acerrimum Marklandi studium exstitit; de ceteris, quarum vix singulis singula vel bina menda objecit, eo facilius negotium erit, quia in nonnullis ipse Marklandus arma nobis praebuit. In septima decima certe asperitatem Bruti, qui Attico *segnitiam* exprobret, ipse Marklandus ea confirmare monet, quae Cicero de eodem queratur ad Att. VI. 3, *plane parum cogitare quid scribat aut ad quem* [63]); nec si is, ut ibidem legimus, *nullas unquam ad Ciceronem literas*

---

62) Plinius tamen Paneg. c. 61: *felicitatis est quantum velis posse, magnitudinis velle quantum possis.*

63) Remarks p. 52: *if Brutus wrote in this manner, it shows the truth of what Cicero says concerning him*; cur igitur addit: *for here in a friendly letter to Atticus without any provocation . . . he is*

misit, in quibus non inesset arrogans, ἀκοινώνητον aliquid, in illa voce quidquam praeter εὐϑυρρημοσύνην Stoici agnoscemus, qua haud scio an ipsius epistolae auctoritas propter personae convenientiam etiam magis augeatur. Idem ubi pro *plures occidit uno* rectius scribendum fuisse ait *plus* [64]), ipsum Ciceronem bis plurali usum esse docet, Legg. II. 15: *nervos jussit quod plures quam septem haberet in Timothei fidibus demi,* et Orat. c. 64: *quod plures syllabas habeat quam tres,* quibus exemplis accedat Vell. Paterc. II. 1: *haec urbs nunquam plura quam decem millia propriae juventutis armavit;* cur ergo, qui tres illos locos integros relinquat, quartum non librarii alicujus sed falsarii fraudi tribuat? Tertia si qua est reprehensio, duobus verbis absolvi potest; quis enim nisi cavillabundus repugnare sibi scriptorem arguat, qui postquam Octavianum a Cicerone velut successorem Antonio datum questus sit, eundem tamen omnia *optimo in rem publicam animo fecisse* fateatur [65])? Scilicet *optimus animus* in voluntate positus est, quam etiam si probemus, facta tamen improbare possumus, ut est in epistola Dolabellae ad Ciceronem Fam. IX. 9: *tu autem, mi Cicero, sic haec accipies, ut sive probabuntur tibi sive non probabuntur, ab optimo certe animo ac deditissimo tibi et cogitata et scripta esse judices.* Sed haec, quae vix tironem moneri opus sit, mittamus; non tamen graviora sunt, quae in quarta hujus libri epistola criminatur [66]), quod Brutus prohiberi se a Cicerone metuat, ne *cives* appellet, quos ipse Cicero paullo ante hoc nomine appellaverit; quod *laetitia* se affectum

---

abusing him to his face; and that too in a circumstance, which did not at all belong to the character of Atticus, who was the furthest of any man in the world from the suspicion to be segnis, moxque p. 54: *if therefore our Author took segnis in a good and indifferent sense, he mistook the signification of the word; but if he took it in a bad one, what he says is false and injurious to the character of Atticus!* Num injuriam fecerit Attico, Drumanni verba doceant T. V, p. 77: *gleichwohl vermisst man einen wahren und warmen Eifer für die Ehre und das Glück des Andern . . . seine Gefühle erlaubten ihm, kalt und nüchtern mit dem zu tändeln, was Cicero für den Augenblick das Wichtigste und Heiligste war . . . bei dieser Gemüthsruhe und Friedensliebe war er verschwiegen und zum Vernünftler geeignet.*

64) Remarks p. 114.

65) Ibidem p. 191: *say you so? whence comes it then, that below Cicero is charg'd with a design of setting up young Caesar for lord and master of the republic? think again Brutus, whether it be possible, that Cicero could have the best intentions to freedom and at the same time no objection to slavery!*

66) Ibid. p. 135: *be not in any concern, Brutus; Cicero can never make this objection, nor blame you for calling these men citizens, because he himself and in the very letter, which you are now answering, has already called these very same persons citizens;* moxque p. 136: *can men of sense bear with such an idle and inconsistent scribler as this, who is rejoicing at the death of his friends in the same letter, in which he is setting off and vindicating his humanity to C. Antonius one of the greatest of his enemies?*

scribat propter pugnam Mutinensem, in qua duo consules amici ipsius ceciderint; denique quod *pejus malum* dicat, quod etsi in Senecae quoque Medea exstet, illic tamen corruptum esse videri ait 67)! At, ut hinc ordiamur, ne necessarium quidem est ad Senecam confugisse, si quidem illud, quod Marklandus reprehendit, a Bruto ne scriptum quidem est; cujus verba haec sunt: *nunc Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus, neu semper primi cujusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur pejus,* hoc est non *pejus malum,* sed ipsum quod Marklandus requirit *majus malum,* vel si malueris *magis malum,* quod quum in ipso comparativo lateat, non opus est, ut ille fecit, ex superioribus repeti. Major totius sententiae difficultas est, quam tamen ipse censor non tam reprehendit, quam inserto vocabulo *omissio* post *excidendi* sanare conatus est; nos vero et hanc medelam a scriptoris sententia alienam et totum locum, modo recte intelligatur, sincerissimum esse arbitramur. Neque enim illud Brutus queritur, quod primi cujusque mali excisio negligatur, sed quod novum semper succedat, ut primum illud ideo tantum excisum videri possit, ut aliud pejus renasceretur; qua in sententia elegantissime ita loquitur, ut qui proprie *effectus* tantum illius excisionis sit, per acerbam irrisionem in ejusdem *causam* commutetur, quasi id ipsum excidentibus jam propositum fuerit. Sic Juvenalis in celebratis versibus Sat. VII. 27—29:

frange miser calamos vigilataque proelia dele,
qui facis in parva sublimia carmina cella,
ut dignus venias hederis et imagine macra,

prorsus ut nos: *um zuletzt nichts als einen Epheukranz und eine magere Büste davonzutragen,* non quo id proprie scribentis consilium fuerit, sed quia tam necessario inde sequitur, ut velut ab initio illi propositum fuisse videatur; neque aliter interpretandus esse videtur vexatissimus locus de Aelio Ligure apud Cic. pro Sestio c. 32: *qui cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis illius quam generis esse videretur,* hoc est: quo tamen nihil amplius effecit, quam ut qui id cognomen audirent, natione Ligurem, non Aeliorum cognatum existimarent. De *civibus* autem mera calumnia est; quos si Cicero ita tantum *cives* appellaverat, ut eodem versu *nullos unquam hostes digniores omni supplicio fuisse* adderet, sententiam ejus Brutus rectius assequi non poterat, quam si

---

67) Ibid. p. 191 not.

negabat eum homines hostilis in rem publicam animi pro civibus haberi velle; neque alia *laetitiae* causa est, quam facile intelligitur non ad mortem consulum, sed ad victoriam spectare, et quod tales exstitissent, quales saepe sibi Cicero scripsisset; doloris vero significatio ne exspectari quidem poterat a Stoico, in ea praesertim rei publicae condicione, ubi multo plus lucri factum videbatur Antonio fugato et liberato Bruto, quam consulibus omissis damni. In septima quoque quae una offensio restat in verbis: *sed Appulejus* vel ut cum Middletone Marklandus legit *Domitius in sua epistola celebrabitur*, plus difficultatis ex universa scribentis brevitate et festinatione quam ex verborum sententia habet, quae quantum equidem intelligo haec est, ut Brutus se Appulejum in propria epistola, quam aut ipsi traditurus aut certe de ipso peculiariter ad Ciceronem missurus sit, amplioribus laudibus commendaturum esse dicat; ea enim est *sua epistola*, non aliena, ut haec, quae pro Bibulo potius scripta est, neque aliter Middleton intellexisse videtur, qui sic vertit: *but Domitius's pretensions will be set forth in his own epistle*; sin vel maxime is sensus sit, quem Marklandus vult: *that Domitius will be celebrated or made famous by his epistle*, tantum abest ut necessario *ob* vel *propter suam epistolam* scribendum fuerit, ut prorsus eodem modo Martialis locutus sit IV. 29. 7:

saepius in libro numeratur Persius uno,
quam levis in tota Marsus Amazonide;

eademque causa est Cicer. pro Sestio c. 42: *quomodo igitur hoc in genere praesidii comparati accusas Sestium*, quorum multa similia congessit Handius Tursell. T. III, p. 270. Unum illud scite Marklandus in Middletonis ratione reprehendit, ut *celebrare* plerumque de multitudine intelligendum esse moneret [68]; posse tamen etiam ab uno aliquo laudes alicujus celebrari, notissima exempla docent Horatii Carm. I. 12. 2: *quem virum aut heroa lyra vel acri tibia sumis celebrare Clio*, et Ovidii Trist. IV. 4. 18:

Juppiter ingeniis praebet sua nomina vatum,
seque celebrari quolibet ore sinit;

quod si de reliqua scriptoris voluntate constet, hoc unum vocabulum ne emendatione quidem indigere, nedum totam epistolam in suspicionem adducere arbitrer. De undecima in historica disputatione pluribus agendum erit; de verbis tamen:

68) Ibid. p. 68.

nisi praetorum comitia habituri essent consules, vel nunc in transcursu monere licet, nec quod Marklandum offendit Antistium praeturam petere, qui vix quaestura perfunctus esse videatur [69]), nec quod Tunstallus reprehendit de *consulibus* scribi, quos ambos mortuos esse Brutus nosset [70]), eam vim habere, ut epistolae fidem vel tantillum infirmet. Consulum enim nomen in hoc loquendi genere solemne fuisse videtur, ut perinde esset dicere: *comitia habentur*, et: *consules comitia habent*, ut Cicero ad Att. IV. 2: *si comitia censorum proximi consules haberent*, idemque simili in causa Philipp. XIV. 14, quamvis abesse consules nosset, hos tamen solemniter praescripsit: *ut C. Pansa A. Hirtius consules imperatores alter ambove aut si aberunt M. Cornutus praetor urbanus supplicationes ad omnia pulvinaria constituat*; neque opinor dubitare Brutus poterat, quin ante novorum magistratuum comitia alii consules in mortuorum locum sufficerentur; de praeturae autem petitione ignorantiae crimen, quod in sophistam scilicet suum Marklandus conjicit, in ipsum recidit, qui non recordatus sit, illis temporibus legitimum magistratuum petendorum cursum susque deque haberi coepisse. Cujus rei insignissimum testimonium exstat Ciceronis Philipp. XI. 5: *quam absurdum autem, qui praetor fieri non potuerit, eum petere consulatum*, ibidemque de alio, *qui ex aedilitate consulatum petiit*; neu quis hanc licentiam in Antonianos tantum cadere putet, in promtu est Furnii exemplum, cui Cicero eodem modo, quo Brutus se in Antistio fecisse ait, intempestivam petitionem dissuadens scribit Fam. X. 25: *quod eo facilius nobis est, quod non est annus hic tibi destinatus, ut si aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset!* Difficilior quaestio videtur de *sua pecunia*, qua idem Antistius Brutum adjuvisse dicitur, quum eam publicam potius fuisse probabile sit [71]); verum tamen si vel maxime fuerit, de quo nunc non quaero, eam quoque, quam pro re publica administraret, non solum in epistolari brevitate *suam* dici potuisse ostendit *Appulejana pecunia* Philipp. XIII. 16, neque aliter Cicero ad Cassium Fam. XII. 7: *tamen sic statuebam, omnes quae in istis partibus essent copiae opesque, tuas esse, per teque Asiam provinciam confidebam jam rei publicae recuperatam.* Superest tertia decima, in qua ipse Marklandus nihil reprehendendum invenit, nisi quod Brutus se ea, quae pro Lentuli liberis deprecetur, non tantum *a Cicerone conjunctissimo homine pri-*

69) Remarks p. 156 sqq.
70) Observ. p. 315 sqq.
71) Remarks p. 151 sqq.

vatim, sed etiam *a consulari tali viro remota necessitate privata impetrare debere* ait; quod ipsum licet summa cum acerbitate insectetur, tanquam ineptum sit privatas preces cum loco Ciceronis in re publica confundi [72]), nihil tamen nisi ipsius caecitatem ostendit, qui Bruti sententiam, si vel maxime voluit, intelligere certe non potuerit. Nimirum id ipsum sibi Brutus tanquam praemium pro tantis suis in rem publicam beneficiis ac meritis publice concedi vult, ne sororis suae liberi propter patris crimen simul puniantur; quod quum ita petat, ut ingratum fore senatum suaeque ipsum dignitati reique publicae saluti pessime consulturum esse significet, si liberatorem patriae tanta ignominia affecerit, prorsus consentaneum est eum etiam consularem appellare, qui saluti ac dignitati publicae praecipue prospicere debeat; ut mittam haec ad Ciceronem scribi, quem constat consulari suo loco tantum tribuisse, ut si quis hoc nomine ei supplicaret, vix resistere posse videretur.

Absolvimus Bruti epistolas, quarum Latinitatem Marklando maximam reprehendendi copiam praebuisse vidimus; restant ipsius Ciceronis, cujus etsi majorem rigorem exspectare debemus, tamen hic quoque epistolarum licentia recogitanda est, quae modo universas sermonis leges et velut vivum quendam Latinitatis sensum servet, non est cur de singulis singularum vocum auctoritatibus trepidemus [73]). Sic, ut temporis ordinem sequamur, in prima libri secundi epistola non Marklandum solum sed etiam alios et ante et post illum [74]) valde offendit vox *infideliter*, cujus nullum praeterea exemplum apud bonum scriptorem exstat, neque is sum equidem, qui propter hunc solum locum ubique *infideliter* pro *mala fide* scribi posse censeam; at si accuratius inspicias, hic certe excusationem invenies in opposito *inutiliter*, cui similem formam quamvis inusitatam propter concinnitatem respondere scriptor voluit, nec si quid ad imitationem minus aptum est, cujus

---

72) Remarks p. 188: *what Cicero's consular dignity has to do with the defence of a traitor's children, it is difficult to apprehend; the argument seems to me to be of the same validity, as if he had said, because you are about sixty three years old and were born at Arpinum!*

73) Quantum sibi in extremorum horum temporum epistolis Cicero indulserit, fragmenta a grammaticis servata docent, ut ad Cornel. Nep. ap. Priscian. VIII. 8. 17: *ut a te aggrederer*, vel ad M. filium apud eundem VIII. 17. 96: *ut excelleas*, quae si in nostris legerentur, quantum clamorem censores isti sustulissent?

74) Priores nominat Noltenius Antibarb. p. 1002, unde haud scio an ipse Marklandus p. 116 Vossii, Borrichii, Cellarii notitiam acceperit; inter recentiores imprimis Krebsius p. 422: *infideliter ist sehr spät Lateinisch, wiewohl es auch in den verdächtigen Briefen Ciceros ad Brutum vorkommt.*

raro vel nunquam eaedem causae sunt, ideo etiam Ciceroni denegabimus, qui quo modo et quando diceret optime intelligebat. Velut pro Sestio c. 7 *cautorem alieni periculi* dixit, quod vocabulum haud scio an praeter similem locum Plauti Captiv. II. 2. 7 nusquam ne apud JCtos quidem legatur; nemo tamen iccirco spuriam illam orationem dixerit; utque alia ἅπαξ λεγομένων exempla taceam, quae haud exigua apud Ciceronem exstant, ipsorum nominum et adverbiorum cum praefixo negativo compositorum ea apud illum ratio est, ut si omnes libros damnare velimus, quorum usus in hoc genere geminis exemplis careat, Ciceronem ex Cicerone perdituri nobis videamur. Non quaeram num recte neget Marklandus cum Vossio ex solo adjectivi usu etiam adverbio veniam peti posse; at si vel maxime nequeat, ideone in suspicionem vocabimus ipsum adverbium *impolite*, quo semel utitur Orat. I. 50, item *incallide* Offic. III. 33, *indiserte* ad Qu. Fr. II. 1, *immortaliter* ibid. III. 1, *insaturabiliter* Nat. Deor. II. 25, *intemperate* Univ. c. 12, ut mittam ea, quorum apud alios tamen usus constat, ut *incontinenter* Offic. III. 8, *insipienter* Senect. c. 19, *impunite* Fin. II. 18 etc., eademque causa est substantivorum, quo ex numero si quis *immutabilitatem*, *impigritatem*, *injucunditatem* propter insolentiam excludat, eodem jure libros de Republica, de Natura Deorum, de Fato e Ciceronianis tollat [75]). Quae autem praeterea in illa epistola reprehendunt, ne excusatione quidem sed explicatione indigent, cui quam impar Marklandi cupiditas fuerit, hic quoque apparet in verbis: *nec illa modo praestiti, quae nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, vigilantiam, patriae caritatem . . . ego autem ei qui sententiam dicat in principibus de re publica, puto etiam prudentiam esse praestandam;* ubi ille parum sibi scriptorem constare argutatur, qui postquam *sola* illa ab homine postulari posse dixerit, mox tamen etiam prudentiam a principe exigat [76]). Taedet verbum proferre de re in proclivi posita; attamen quoniam ille quatuor paginas in hac disputatione consumsit, nobis certe licebit

75) Magnam hujus generis semel vel raro dictorum copiam ex Ciceronis libris collegit Ellendtius ad de Oratore T. II, p. 211—215; nec tamen ipse numerum exhausit.

76) Remarks p. 196: *what, when you said but just before, that fidelity, vigilance, and the love of one's country are the* o n l y *things, that are to be required of man? are the leaders in states-affairs more than* m a n, *and answerable for more than the only things which are to be required of them! Go, forgetful blunderer, once more read over the places of Cicero, from whence you took the sentiment, and learn at least to transcribe good sense, when you have it before your eyes in Famil. V. 13 and Philipp. VII. 7 . . . had he copyed it as he ought to have done, he would not have said: quae sola ab homine* s u n t *postulanda, but just the contrary: quae sola fortasse* v i d e n t u r *postulanda, sed non sunt satis!*

duobus versibus monuisse, alia officia esse *hominis*, quae, ut ipse Cicero in parenthesi addit, *nemo non praestare debeat*, alia *principis*, in quo ea, quae ab illo *sola* exigi possint, non sufficiant. *Multa enim*, ut est pro Flacco c. 10, *sunt ejusmodi, ut etiam si in homine ipso, de quo agitur, negligenda sint, tamen in condicione atque in exemplo pertimescenda videantur*; quaque laude simplex civis facile careat, eandem ejus condicio, qui in summo rei publicae gradu constitutus sit, aegre desiderabit. Neque melior Tunstalli causa est, qui quod in his verbis: *si aut quo die dixi sententiam perfecta essent et non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt ut agerentur, non tardata et procrastinata*, putidam diligentiam et imbecillitatem orationis vituperat [77]), in ceteris epistolarum libris non pauca invenire poterat, quorum multo durior forma esset [78]); illa vero: *ex me autem illud est, quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem esse neque respectum ullum quaerere, nisi me utilitas civitatis forte converterit; majores autem partes animi te Cassiumque respiciunt*, ita interpretatus est, ut jure tuo dubites, an omnino Latine nescierit. Sic enim vertit: *my mind wholly depends on the army before Modena, nor does it look for any other resort; but the minds of people for the most part look for resort in you and Cassius*, unde facile intelligas eum totam imaginem, qua Cicero nunc utitur, non animadvertisse, nec si similis Middletonis culpa fuit, interpretis imperitia ipsi libro fraudi esse potest. Nimirum quod animum suum *in aciem* esse ait, non hoc est quod Middleton expressit: *my mind is wholly intent to the war*, sed se ipsum velut ad bellum gerendum pugnamque instituendam paratum esse ostendit [79]), eodemque

---

77) Observ. p. 382: *labour, trivial exactness, and heavy but unmeaning periods.*

78) Famil. VII. 1: *etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suae quemque fortunae maxime poeniteat, nemoque sit, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit, tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore bono viro Romae esse miserrimum sit.* Ibid. X. 22: *quod ad me scripseras de re agraria, si consultus senatus esset, ut quisque honorificentissimam de te sententiam dixisset, eam secutus essem, qui certe ego fuissem.* Ibid. 31: *ne movear ejus sermonibus, quem tametsi nemo est qui videre velit, tamen nequaquam proinde ac dignus est oderunt homines, periculum non est.* Ibid. XII. 2: *intelligit enim populus Romanus tres esse consulares, qui, quia, quae de re publica bene senserint, libere locuti sunt, tuto in senatum venire non possint.* Attic. XIV. 13: *tamen si est bellum civile futurum, quod certe erit, si Sextus in armis permanserit, quem permansurum esse certo scio, quid nobis faciendum sit, ignoro.*

79) Nimirum *in aciem* dictum est pro *in acie*, elegantissimo usu, quem jam Gellius I. 7 in oratione pro lege Man. c. 12 docte vindicavit, cujusque gemina exempla leguntur Verr. V. 38: *in eorum potestatem portum futurum intelligebant*, et Philipp. XII. 2: *ne si in senatus quidem potestatem se futurum dixerit*; adde Divin. in Caecil. c. 20: *quae in amicitiam populi Romani dicionemque essent*, pluraque apud Hienzeum de lege Servilia p. 23 et Kritzium ad Sallust. Jugurth. c. 112.

spectant sequentia, *se respectum nullum quaerere,* hoc est, non ut Middleton vertit, *nor cares to attend to any other object,* sed oculos suos non retro cernere ad receptum aliquem quaerendum, ut Philipp. XI. 11: *non ut ex ea acie respectum haberemus;* quod autem deinceps *majorem animi partem Brutum et Cassium respicere* addit, nec ipsum de populo sed de se tanquam imperatore dicit, qui in aciem progressus ab aliqua parte subsidia exspectet. In secunda hujus libri epistola praeter literas *a* Lentulo acceptas, de quibus superius dictum est [80]), unum tantum Marklandum offendit, quod Lepidi animum *semper* inimicum rei publicae dicat, quem Philipp. V. 14 *semper* populum Romanum liberum voluisse praedicet; id tamen quum ad Latinitatem non pertineat, nunc non magis tangemus quam quae Tunstallus et in hujus et in sequentium argumentis historicis reprehendit; in sexta demum hic idem etiam verba criminatur: *ne animi partium Caesaris commoverentur* [81]), quanquam id ipsum ita facit, ut in eum quoque cadat, quod de Marklando Gesnerus p. 232 ait: *ubi convenientia cum Tullio invenit, accusat furtum et imitationem puerilem; ubi aliquantum diversa, peregrinum se tenere arbitratur!* Immo eadem verba, quorum modo Latinitatem increpuit, e Ciceronis Philippica quinta expressa arguit, qui si ita loqui poterat c. 12: *alteri victi sunt, alteri sunt e mediis C. Caesaris partibus,* cur *animos* harum dicere noluerit? An illud male habet, quod *partibus* tanquam hominibus *animi* tribuuntur? At opinor ipsae partes hominum sunt, ut perinde sit *partium animos* dicere ac multitudinis vel civitatis; nec si in duplici genitivo Tunstallus offendit, aliter Pollio scripsit ad Fam. X. 33: *quia videntur et duces et veterani Caesaris partium interiisse;* denique si vel maxime neges Ciceronem alibi *partes* pro ipsis hominibus, qui ab alicujus partibus stent, dixisse, Taciti certe auctoritatem agnosces Ann. III. 18: *quasi quaereret ducem et partes;* Hist. III. 66: *Primus et Fuscus et specimen partium Mucianus* etc. In septima quoque hujus libri epistola Oedipo opus fuerit ad divinandum, quid Tunstallo in his verbis vitiosum visum sit: *quocum vides hoc tempore ipso quod sit quantumque certamen; id profecto nullum esset, nisi tum conservatus esset Antonius;* sed ne Marklandi

---

80) Pag. 11, quibus adde insignissimum exemplum ad Famil. VII. 23: *tantum quod ex Arpinati veneram, quum mihi a te literae redditae sunt, ab eodemque accepi Avianii literas,* ubi eadem praepositio priori loco scriptorem literarum, altero tabellarium, qui eas attulit, significat.

81) Observ. p. 382: *an instance of like Latinity occurs in a following letter . . . both the passages seem to be imitated from the Philippics!*

quidem reprehensiones meliore fundamento nituntur, qui quod *honorem diis decerni* negavit, jam superius explosimus, quod autem in conjunctivo *ut soleres* post *nec te scripsisse ad tuos* obliquam orationem agnoscere noluit [82]), tanta cavillatio est, ut vix responso digna videatur. Scripserit Cicero, quod ille postulat, *ut solebas;* quantas eum poenas censoribus daturum fuisse putas, qui jure meritoque quaesivissent, quomodo necesse fuerit Bruto narrari, qua ipse consuetudine uteretur! unice igitur verum est *soleres*, e Labeonis ore dictum, quem Cicero literas Bruti ita in dubium vocasse narrat, ut eum praeter consuetudinem nihil ad suos scripsisse diceret, ut v. c. Philipp. II. 2: *cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent*, et pro Flacco c. 6, ubi certe ex scholiastae lectione restituendum est: *sermo est tota Asia dissipatus, Cn. Pompejum, quod L. Flacco esset vehementer inimicus, contendisse a D. Laelio* etc. Gravior offensio occurrit in libri primi epistola secunda, qua non Tunstallo tantum verum etiam Handio, viro elegantissimo, *aetatem suam falsus auctor epistolarum ad Brutum prodere* visus est [83]), si quidem ita scripsit: *quinque autem cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, quum tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes?* neque negari potest *eo* pro *ibi* apud Ciceronem aliosque probatae Latinitatis auctores nusquam praeterea usurpari, quin genitivus *loci* velut pro fulcro adjiciatur, ut pro Sestio c. 31: *res erat et causa nostra eo jam loci, ut erigere oculos et vivere videretur,* et ad Att. I. 13: *res eodem est loci quo reliquisti;* at si eam aetatem quaerimus quam eo solum positum prodat, inferiorem nos inventuros esse vix puto [84]): immo remittimur ad superiorem, ubi Titinius Comicus apud Festum dixit: *quid habes nisi unam arcam sine clavi? eo sucerdas condis*, tantumque abest ut in hoc usu barbarum aliquem falsarium deprehendamus, ut nihil nisi quotidiani sermonis negligentiam tenere nobis videamur, quam vel Ciceronis epistolae, praesertim festinanter scriptae ut haec de qua nunc agitur, interdum cum antiqua comoedia communem habent. Mitto reliqua; sed in ipsis locorum designationibus quam promiscuus vetustatis usus fuerit, Grae-

82) Remarks p. 96: *now let him shew me one Author besides himself, who writes* u t s o l e r e s, *when the expression is* a b s o l u t e, *as it is here!*

83) Tursell. T. II, p. 410.

84) Tunstallus quidem p. 381 in ipsa epistola subditicia ad Octavium geminum exemplum invenisse jactat: *consulem designatum rursum inclusum* e o, *ubi se non moenibus sed fluminibus et montibus tueretur;* at non vidit *includere* etiam cum loco *in quem* quis includat construi, ut *in custodias* Verr. V. 55, *in epistolam*, Att. I. 16 etc.

corum quoque exempla docent, quos ἔσω et ἔνδον et similia sexcenties confundere constat [85]), utque superius *in aciem* pro ablativo dictum legimus, ita Cicero ad Att. III. 8 *ubi* pro *quo* dixisse videtur: *quod suades ne longius discedamus . . puto me ita esse facturum; sed ubi, nondum statui*, h. e. *quo discedam, ut ibi maneam*, prorsus ut nostro loco cum Matthiaeo ad Orationes VI, p. 122 et Kritzio ad Sallust. Jugurth. p. 600 *eo* explicari potest: *quum tu eo quinque legiones adduxisses adductasque ibi haberes*; denique si *ibi* et *ubi* additamentum *loci* et sumere et ponere promiscue solent, cur *eo*, postquam semel in significationem *ibi* transiit, eadem libertate careat? Neque alia causa est tmesis illius, quae et ipsa Tunstallum offendit: *quid se nam facturum*, vel in tertia epistola, ut hanc statim comprehendam, anastrophes *ea cum*; quarum etsi omnino gemina exempla apud Ciceronem non exstant, ea tamen analogiae vis erit, ut eodem jure tutae sint, quo contrariae collocationis insolentiam de Offic. II. 23 et Famil. X. 6 *cum quibus* pro vulgata *quibuscum* tuemur. Tmesis certe in ipso suffixo *nam* apud Plautum singulis fere fabulis recurrit [86]), neque opinor audacior aut insolentior haec est, quam illa qua ipse Cicero non solum in epistolis ad Att. I. 20 et Fam. III. 5, sed etiam in libris de Oratore identidem utitur: *per mihi mirum visum est, per mihi scitum videtur* etc.; anastrophes autem quam late usus pateat, praeter innumera relativi exempla [87]) etiam demonstrativa ostendunt *hunc post* Tuscul. II. 6, *hunc circum* Nat. Deor. II. 41, *hos contra* Fin. V. 8, quae si vel in iis praepositionibus cernuntur, quae etiam relativis praemitti saepius quam postponi solent, *cum*, quod tot pronominibus solemniter postponitur, etiam post *ea* nihil justae offensionis habebit. Unum reliquum est, quod aliqua cum specie Tunstallus reprehendisse videatur, in epistola nona, ubi Cicero Brutum consolans: *est enim*, inquit, *alienum tanto viro, ut es tu, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse*, quod jam antiquos editores adeo offendit, ut *quantus es tu* reponi mallent; ego vero ut causam emendationis intelligo, ita necessitatem non agnosco,

---

85) Cf. Fischer. ad Weller. gr. gr. T. III, P. 1, p. 214, P. 2, p. 93; Lehrs. de Aristarchi stud. Homer. p. 140.

86) Amphitr. II. 1. 45: *quo id malum pacto potest nam?* Aulul. III. 2. 13: *sed in aedibus quid tibi meis nam erat negoti?* Bacch. V. 1. 26: *quid tibi ex filio nam aegre est?* Mercat. V. 4. 6: *quid negoti est nam quaeso istuc?* Pers. II. 5. 13: *quando istaec innata est nam tibi?* Rud. IV. 3. 8: *quid tu malum nam me retrahis?* Trucul. V. 1. 48: *quae tria nam?* etc.

87) Largam exemplorum copiam praebent grammatici Ramshornius p. 476 et Krügerus p. 943; adde Gabblerum in Jahnii Jahrbb. 1829, T. X, p. 393.

nedum ipsam epistolam, in qua ne Marklandi quidem fastidium quidquam naevi investigavit, propter hanc solam causam inter spurias relegem. Mihi enim illud quidem facile persuadetur, *ut* apud bonum scriptorem quantitatis significationem non habere, quanquam hujus quoque unum certe exemplum in promtu est Plinii Hist. Nat. Praef. §. 5: *nec quidquam in te mutavit fortunae amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses ut velles;* at in quo totius quaestionis cardo versatur, qualitatis significationem in hunc locum non cadere, id vero nemo adhuc demonstravit; quod donec factum sit, equidem mendum, si quod lateat, in praedicato potius quod est *tantus* quaeram, neque tamen vel hoc necesse habeo mutari, si quidem quantitatis quoque vocabulum pro praedicato addi poterat: *ut es tu* scil. *tantus vir quantum videmus* vel *novimus* etc. Sic ad Famil. XII. 20: *quod si, ut es, cessabis, lacessam,* ubi itidem cod. Palatini librarius addendum censuit *delicatus*, nihil tamen deest, modo ex eo, quod sequitur, *cessabis* ad *ut es* suppleas *cessator;* nec nimis diverso exemplo VII. 32: *illa quamvis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non moverunt;* modo igitur ita nostrum locum intelligamus, ut non magnitudinis modus, sed virtutis aut sapientiae admiratio declaretur, qua Cicero Brutum tantum virum, quantus videatur, revera esse praedicet, utrique vocabulo sua vis constabit. De ceteris autem hujus libri epistolis quae Marklando respondenda restant, pleraque ex eo genere sunt, ut ambigas, ne ille sciens prudensque, quae ante pedes essent, videre noluerit. Velut in epistola secunda quod in his verbis: *magis mihi probatur militum severitas quam tua,* clementiae sive lenitatis mentionem desiderat, quam Cicero in Bruto reprehendat [88]), prorsus eadem cavillatio est, qua in illis pro domo c. 45: *quod esset signum magis istorum quam publicae libertatis,* p. 303 *licentiae* vocabulum abesse criminatur, ubi apposite Gesnerus p. 263: *si conjectura tali errorem librariorum emendandum censet, transeat, potest fieri; sed si ex illa comprehensione libertatis colligit, ergo Cicero non scripsit hanc orationem, leviculum est et facile refellendum, quum nihil sit frequentius, quam verbum unum inaequali velut jure ad duo nomina, aut duo ad unum nomen verba referri;* in nostro vero loco etiam comparativi vim ignoravit, cujus passim ea natura est, ut animum, ut Nitzschii verbis utar ad Plat. Ion. p. 59, *a contrarii cogitatione revocet,* h. e. non majorem

88) Remarks p. 187: *the severity of Brutus was none at all, and the want of it is the very thing which Cicero blames in him here and in other places . . . how than can the severity of Brutus, which was none, come into any comparison with that of his soldiers?*

ejusdem rei gradum cum minore comparet, sed de duabus rebus contrariis alterum potius adesse declaret, ut Thucyd. II. 40: *καὶ τὸ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινὶ αἰσχρὸν, ἀλλὰ μὴ διαφυγεῖν ἔργῳ αἴσχιον*: quod si recte milites severiores quam imperator dici poterant, etiam si hic mitis potius quam severus fuerat, nec Ciceronem vituperabimus, qui sibi hanc militum severitatem magis quam Bruti probari ait. De repugnantia quoque, quam inter *iracundiam*, qua Cicero Brutum in superatos uti velit, et illa ejusdem praecepta invenit, quibus de Offic. I. 25 *audiendos esse* neget, *qui graviter irascendum inimicis putent* 89), Ciceronis certe illam quoque sententiam fuisse Ammianus Marcellinus 90) clare testatur, neque opinor major illa inconstantia fuerit, quam qua hic ad Att. XV. 8 *legatione votiva sibi opus esse* scripsit, postquam de Legg. III. 8 negavit quidquam *reapse esse turpius, quam sine procuratione senatorem legatum, sine mandatis, sine ullo publico munere*; in tertia vero epistola de senatus consulto, quo Cicero *omnes hostes judicatos esse* narrat, *qui M. Antonii sectam secuti sint*, tantus Marklandi error est, quantum vel cupidissimus calumniator nisi imprudens committere non potuerit. Legitimam formam hanc futuram fuisse ait: *qui M. Antonium sectamque ejus secuti sunt*, ejusque rei exempla ex Livio ponit VIII. 19: *pro Fundanio ejusque sectam secutis*, XXXVI. 1: *cum Antiocho rege quique ejus sectam secuti essent*, XLII. 31: *regem Persea quique ejus sectam secuti essent*; at quis non videt his ipsis exemplis tautologiam illam, quam Marklandus aut pleniorem amplioremque aut certe antiquam orationem appellat 91), omnino non inesse? Neque enim scripsit Livius: *qui Antiochum ejusque sectam secuti essent*, sed ipsum regem

---

89) Remarks p. 184 sqq.

90) Amm. XXIX. 5: *agebat autem haec Tullianum illud advertens, quod salutaris rigor vincit inanem speciem clementiae*, quae manifesto respiciunt nostra: *vehementer a te, Brute, dissentio, neque clementiae tuae concedo; sed salutaris severitas vincit inanem speciem clementiae*, quodque levi discrimine *rigor* pro *severitate* substitutus est, id ipsum contra Tunstallum p. 383 ostendit nostra non a falsario profecta esse, qui si veri Ciceronis sententiam imitatione expressisset, ipsa verba ad fidem faciendam retinuisset. De sententia vero illud quidem recte animadvertit Marklandus, pro *iracundia*, quam Brutus recusaverat, mutato vocabulo *salutarem severitatem* successisse; at quod id sophistae scilicet sui negligentiae aut imbecillitati (*inadvertency or wrong head*) tribuit, ipsius potius tantus stupor fuit, ut non intelligeret, quam callide hoc Cicero instituisset, ut non modo ipsam severitatem commendaret, sed eadem opera Bruti orationem quasi corrigeret, eamque quam ille ad invidiam faciendam *iracundiam* appellasset, veriore nomine *salutarem severitatem* dicendam esse innueret.

91) Remarks p. 74: *which, whether it were more full and comprehensive than the other or not, was however the antient form!*

ab ejus sectatoribus probe distinguit, quo exemplo si nunc Cicero scribere voluisset, ita potius dicendum erat: *hostis autem M. Antonius judicatus et qui ejus sectam secuti sunt*, sin de solis sectatoribus loquebatur, genitivo tantum opus erat, ut in Scipionis exemplo apud eundem Livium XXIX. 27, quem quod Marklandus propter modestiam dixisse jactat: *qui populi Romani meamque sectam sequuntur,* pro: *me meamque sectam,* quam perversum sit neminem fugit; nec si Ciceronis usum adeo cognitum habebat, ut se videri vult, ignorare poterat pro Sestio c. 45: *sunt principes consilii publici, sunt qui eorum sectam sequuntur.* Vix tamen minor levitas est ejus reprehensionis, qua in quinta epistola legis Juliae verba minus plena esse criminatur [92]), ubi si perscriptum legeremus, quod Marklandus postulat: *qui petit cujusve ratio absentis habebitur,* tum profecto castigatione dignus esset scriptor, qui necesse habuisset velut explicandi causa quod per se patet subjungi: *aperte indicat posse rationem haberi etiam non praesentis;* neque acutiorem censorem deprehendimus in antecedentibus, ubi verba Ciceronis: *ad fidem et ad dignitatem tuam pertinere,* ita impugnat, ut scribendum fuisse dicat: *ad rem publicam fidemque tuam.* Scilicet senatus consultorum haec formula est, qua magistratuum imperatorumve arbitrio permittitur, ut faciant *quod e re publica fideque sua ducant,* eodemque exemplo illud decretum fuisse verisimile est, quo Cicero senatum statuisse scribit, *ut Bruti esset judicium, quid maxime conducere rei publicae sibi videretur;* id vero ipsum postquam scripsit, jam *se quidem sic sentire* addit, *si manum habeat, si castra, si ubi consistat uspiam Dolabella,* non solum *ad fidem,* qua simul rei publicae cura comprehenditur [93]), sed etiam *ad dignitatem Bruti*

---

92) Remarks p. 69 sqq. Verum est plerumque addi *absentis*, ut ad Famil. VI. 6, ad Att. VII. 1 et VIII. 3, Philipp. II. 10, et identidem apud Caesarem de bello civili; at necessarium non esse ostendit Philipp. V. 17: *ob eas causas senatui placere C. Caesarem . . . senatorem esse . . . ejusque rationem, quemcunque magistratum petet, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore quaestor fuisset;* nec si ejus quoque, qui praesens peteret, ratio habebatur, ideo Ciceronis argumentatio concidet, quem in proclivi est ex particula *ve* id ipsum colligere, etiam aliorum praeter eos, qui coram petant, rationem haberi ex lege Julia licere.

93) Negat quidem hoc ipsum Marklandus p. 76: *but this writer, even where he ought to urge his argument from the words of the decree of the senate* (hoc falsum est), *drops the chief thing, the public good, and confines the reason of his opinion or advice to the fides and dignitas of Brutus, as if the other part, the republic, were not at all concerned in the matter;* at si *fides*, ut ipse paulo ante explicat, in eo cernebatur, ut *the person, to whom the commission was given, was hereby directed to act with the honour* (id quidem non inest in fide sed in dignitate) *or faith and fidelity, which is due from a citizen to his country*, hac ipsa re publico commodo consultum erat.

pertinere, eum persequi; cujus dignitatis ratio quum ad solam Bruti personam pertineat, facile apparet in senatus consulto ejus mentionem nullam fieri potuisse, amici autem vel maxime id negotium fuisse, ut amicum praeter fidem etiam de dignitate moneret. Sic ad Famil. X. 1: *praeterquam*, inquit, *quod rei publicae consulere debemus, tamen tuae dignitati ita favemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus,* nec multo secus XII. 1: *interim velim sic tibi persuadeas, mihi quum rei publicae, quam semper habui carissimam, tum amoris nostri causa maximae curae esse tuam dignitatem;* quod si ipsius locutionis Latinitatem ne Marklandus quidem in suspicionem vocare potuit [94]), nullo modo erat cur ab eo, qui alterius fidem et dignitatem amplecteretur, rei publicae caritatem omissam censeret. Sequitur epistola decima — octavam enim ipse ab omni suspicione liberat [95]) — in qua quod *eventis rerum* voluntatem potius quam *virtutem atque animi magnitudinem* opponendam fuisse ait [96]), eadem caecitas est, qua pro *rerum eventis* Ciceronem dicturum fuisse putat *re et eventis,* licet illud ipsum legatur de Divin. I. 6: *quarum quidem rerum eventa magis arbitror quam causas quaeri oportere,* unde ipse noster locus ita quoque illustratur, ut intelligamus *virtutem et magnitudinem animi* tanquam causas, quibus Brutus ad agendum impulsus sit, *eventis* recte opponi; adde pro Sestio c. 53, ubi manifesto voluntas in ipsa virtute ponitur: *prae se populus Romanus ferebat, sibi illum in tribunatu Cn. Domitii animum constantem et egregium, et A. Ancharii fidem ac fortitudinem, etiam si nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse* etc. *Edicta* quoque, quorum numerum pluralem criminatur, quia in eadem causa ad Att. XVI. 7 et Philipp. I. 3 *unum* tantum edictum Bruti et Cassii praetorum memoretur [97]), etiam si re vera plura non fuerint, tamen eam certe excusationem habebunt, quod in illa ipsa voce utriusque numeri fere promiscuus usus fuisse videtur [98]); neque de eo vocabulo

---

94) Laudat ipse geminum locum Liv. XXXVI. 26: *ad dignitatem ejus fidemque pertinere, non prodi socios;* adde Famil. X. 3, Att. XV. 15 etc.

95) Remarks p. 19: *it is very like Cicero's hand, nor can I find any thing material to object to it . . . if it be a forgery, it seems to be the best executed of any of them* etc.

96) Ibid. p. 200: *this is not good sense, because there is not a right opposition between virtue and greatness of mind and reality* etc.

97) Ibid. p. 143: *it was but one edict, published jointly in the names of Brutus and Cassius . . . but this Author, knowing perhaps that both Brutus and Cassius were at that time Praetors, thought that there must of course be at least two edicts.*

98) Sest. c. 41: *ecce tibi consul, praetor, tribunus plebis nova novi generis edicta proponunt;*

despero, quod quum praeter hanc epistolam apud nullum usquam Latinitatis auctorem inveniatur, facilis conjectura est quanto studio ab illo exagitatum sit, adeo ut vel hoc uno indicio totius libri falsimoniam velut manibus sibi tenere videretur [99]). Cicero enim de reditu suo in urbem: *perrexi tamen*, inquit, *Romamque perveni nulloque praesidio quatefeci Antonium*, ubi quod extremo loco verbum legitur, adeo sane singulare est, ut facile passuri simus, si pro eo *labefeci* vel *conquassavi* scriptum esset; quod tamen Marklandus in eo ne analogiam quidem probabilem agnoscit, quia alia ejusdem generis composita, quae a transitivis deriventur, ut *commonefacio, condocefacio, perterrefacio,* cum praepositionibus tantum juncta exstent, non minor calumnia est, quam si quis *legionem* recte dici neget, quia in eodem derivationis genere *contagio*, *internecio*, *obsidio*, non *tagio*, *necio*, *sidio* dicatur; postremo si vel maxime ferri nequeat, in promtu est emendatio tam facilis tamque omnibus numeris conveniens, ut si nihil gravius in his libris occurrat, quod eos in suspicionem adducat, propter hoc verbum ne umbra quidem scrupuli residere possit. Non hoc dico, necessario emendandum esse, praesertim quum tale verbum sit, cujus nec medio aevo ullus usus fuerit, unde non dicam falsario sed librario subrepere potuerit; sed si cui videatur emendatione opus esse, scribat *calefeci*, quo ipso vocabulo in simili causa utitur Cicero ad Qu. fr. III. 2: *eodem die Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius sic, ut Calidio verbum pro eo facere non licuerit*, nec prorsus dissimiliter ad Pansam l. III. apud Nonium p. 92: *rumoribus Ventidianis calficimur*, et ad Famil. XVI. 18: *iste nos tanta impensa derideat? calface hominem, ut ego Mothonem*; h. e. commove, vexa, impelle, ut etiam Caelius ad Ciceronem Famil. VIII. 6: *si Parthi vos nil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus.* De postremo crimine, quod in hac epistola movit verbis: *in eam me urbem ire quam tu fugeres*, ubi perspicuitatis causa scribendum potius fuisse ait *ex qua*, quivis videt, eam ipsam Ciceronis sententiam esse, quam Marklandus multis exemplis ostendit verbo *fugere* cum accusativo juncto inesse, ut Brutum non coactum sed sponte urbem reli-

---

Philipp. XIII. 9: *quem tum ille demens laedere se putabat edictis*; Att. XV. 1: *de quibus te bonam spem significas habere propter edictorum humanitatem*; deque ipsis Bruto et Cassio Vell. Paterc. II. 62: *testati edictis . . provincias exercitusque occupaverant* etc.

99) Remarks p. 122: *with which word I shall conclude this head of the language of our Author, being persuaded, that this single instance would be sufficient to ruin the credit of a much better performance than these epistles appear to be.*

quisse scribat [100]); nec majore opera duodecimam tuebimur, ubi quod negat Lepidum *terra marique bellum acerrimum gerere* potuisse, quem nullus scriptor ne unam quidem navem habuisse tradat [101]), facile apparet proverbialem locutionem esse, ut *ferro ignique* vel *pro aris focisque*, cujus singulas partes urgere ineptum sit; repugnantia vero, quam sibi invenire visus est in hac sententia: *nec vero me fugit quam sit acerbum, parentium scelera filiorum poenis lui, sed hoc praeclare legibus comparatum est, ut caritas liberorum amiciores parentes rei publicae redderet* [102]), adeo nulla est, ut nisi vera acerbitas in filiorum fortuna cerneretur, multo minor legum sapientia futura sit, quae hac ipsa re parentes a criminibus deterreant, ut liberis quoque proditorum eas poenas proponant, quae parentium caritati acerbissimae esse debeant. In quarta decima ipse Marklandus unam tantum reprehensionis ansam invenit, eamque tam levem, ut neminem offendere possit, nisi qui ab epistolae scriptore simul et philosophi diligentiam et

---

100) Ibid. p. 140: *for fugere urbem may signifie to avoid the city, by an act of choice, which was not Cicero's case.* Nimirum id maxime Marklandum offendit, quod Cicero addit: *quod mihi quoque quondam acciderat periculo simili, casu tristiore*; unde quod in Ciceronem non ceciderit, idem in Brutum cadere posse negat; at non recordatur, quod ipse mox p. 142 narrat, ipsum Ciceronem exilium suum saepe *discessus* nomine significare, quia non tam pulsus a Clodio quam ut sibi videbatur ultro abierat, ne vi depugnando secum una rem publicam in discrimen adduceret (pro Sestio c. 18 sqq.); quomodo igitur hic, ubi Brutum secum comparat, illum *ex urbe* potius quam *urbem* fugisse dicere poterat?

101) P. 145: *but this writer seems to have thought that it could not be a great war, unless it was carried on by sea as well as land; and therefore he has improved upon Cicero and converted Lepidus's legionary soldiers into sailors!* At id non fecit scriptor, qui simul *et terra et mari* bellum geri ait, nec profecto inepte ab eo imperatore, cujus provinciae magna pars maritima esset; sin vel maxime constet hunc ne navem quidem contra rem publicam movisse, eandem tamen excusationem haberet quam Sallustius, qui Catilinae animum c. 15 *neque vigiliis neque quietibus sedari potuisse* ait, aut Tacitus, cujus Nero Ann. XIII. 37 *per licita atque inlicita foedatus* dicitur, aliique innumeri, quorum plurima exempla collegit Langeus Vind. trag. Rom. p. 49; ipse denique Marklandus p. 150 locutionem *terra marique* apud Ciceronem aliosque *in the sense of a general war* occurrere annotavit, quem sensum cur nostro loco non concedat, vereor ut haec ejus verba satis explicent: *our Author perhaps might have observed this and might make use of the expression without considering whether it were as true here as in the places just now quoted!*

102) P. 190: *if it really is hard or cruel that children should suffer for the crimes of their parents, can it justly be said, that this is wisely contrived by the laws?* At *acerbum* nec *durum* est nec *crudele*, sed ex parentum sensu dictum, quorum poena liberorum supplicio augetur; his igitur *acerbum est*, quod *crudele* aliis tantum *videatur*, suamque ipse negligentiam prodidit Marklandus, quum ex verbis Epist. 15: *in qua videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, poena pervenit,* hic quoque *videtur* potius dicendum fuisse arguit.

jurisconsulti cautionem exspectet: *quare omni studio a te, mi Brute, contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas tecumque deducas, quod ipsum, si rem publicam, cui susceptus es, respicis, tibi jam jamque faciendum est*; ubi illud quidem negari nequit, rei publicae non id retulisse, ut Brutus Ciceronis filium secum adduceret [103]), sed ut ipse in Italiam festinaret; hoc ipsum tamen apertissime Cicero dicit, quum Brutum roget, ne filium suum, cujus adventum exspectat, solum ire patiatur, sed secum ducat, h. e. ipse cum eo veniat, neque opinor dubium esse poterat, utrum Ciceronis an Bruti adventum res publica flagitaret, si quidem illum utroque modo venire certum erat, verba autem *quod ipsum* etc. ad posterius tantum membrum referuntur [104]). Epistolae quintae decimae difficultates partim jam superius tetigimus, partim historicae disputationi reservandae sunt; unam hoc loco commemorasse praestat, non tamen ut unum verbum in explicatione perdam, sed ut ridendum lectoribus propinem severum censorem, qui vel hac de causa Ciceronem has epistolas scribere potuisse negat, quia de Legg. II. 11 Thaletem, hic vero Solonem *sapientissimum ex septem fuisse* judicet [105])! Non quaeram, quibus argumentis Marklandus libros de Legibus exeunte a. u. c. 709 scriptos esse credat, ut haec epistola paucorum mensium intervallo ab illis distet, qua de re jure nostro nunc aliter statuere videmur [106]); sed ut sit, in talibus superlativis non magis argutandum est, quam si Cicero in literis commendatoriis modo hoc modo illo homine *uno omnium familiarissime se uti* scribit, vel ab aliis alia petens eodem tempore *gratius sibi quidquam accidere posse* negat; quae qui ad unguem exigat, vereor ut ex tanto epistolarum numero multas retineat, quae non aliqua re aliis repugnare videantur. In duodevicesima denique quis credat utrique censori plurimum negotii fecisse haec verba: *maximo autem quum haec*

---

103) Huc enim redit omnis Marklandi cavillatio p. 205: *which words make the safety of the state depend upon young Cicero's being brought; which would have been a most vain and foolish thing, as well as false, for Cicero the father to have said!*

104) Difficilior causa est gemini loci I. 12: *tecum enim illum et te in Italiam celeriter esse venturum confido*, unde satis ridicule Tunstallus Observ. p. 382 verba *et te* in nostrum transferri voluit: *tecumque et te ducas!* Middleton cum Lambino eadem prorsus ejecit; Orellius cum Manutio malit: *tecum enim illum esse in Italiam venturum confido*; equidem tamen ipsam cod. lectionem ita tuear, ut Cicero duplicem spem et de filii adventu cum Bruto et de hujus ipsius adventus celeritate conjunxisse videatur.

105) Remarks p. 130: *if the true Cicero wrote this, he must have strangely forgot himself . . . the contradiction is so manifest, that one of the two Cicero's must here be under a great mistake!*

106) Cf. imprimis Bakium in edit. Lugd. 1842, p. xv—xxii, cui cur ego quoque astipuler, peculiarem rationem attuli in G. G. A. 1843, p. 1053.

scribebam afficiebar dolore, quod quum me pro adolescente ac paene puero res publica accepisset vadem, vix videbar quod promiseram praestare posse; est autem gravior et difficilior animi et sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero quam pecuniae obligatio; haec enim solvi potest et est rei familiaris jactura tolerabilis, rei publicae quod spoponderis quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis? Atqui Marklandus adverbium *facile* alienum esse criminatur, quia perinde sit facile an gravate quis patiatur, modo dependi sinat [107]); Tunstallus autem primum in eo argutatur, ut secundum Instit. III. 19. 3 neget, *si quis alium daturum facturumve aliquid spoponderit, obligari,* deinde vero satis scilicet prudenter hoc monet, rei familiaris quoque jacturam, si de gravibus negotiis agatur, sponsori vix tolerabilem esse posse [108])! Et huic quidem illud solum in transcursu respondemus, ex eadem lege eum, qui *effecturum se, ut Titius daret, spoponderit,* utique obligari; quod si Cicero in Philipp. V. 18 non solum *spopondit,* verum etiam *recepit,* h. e. ut O. M. Mülleri verbis utar ad Orat. II. 24, *sancte promisit, se causam ex sententia confecturum esse,* vel juris consulto non minus teneri videretur necesse erat quam Q. Cicero Pompejo, quem legimus ad Famil. I. 9. 9 illi *in memoriam redegisse, quid sibi de fratre recepisset,* eoque nomine *dependere* jussisse, quod sibi pro hoc *spopondisset;* de adverbio autem, quod Marklandum offendit, si quis etiamnunc cum illo dubitet, recordetur, officiorum in re publica reddendorum aliam ac pecuniae dependendae rationem esse. Haec enim, quocunque animo numerata fuerit, eadem manet; officia autem quae quis coactus praestat, omni vi meritoque carent, neque omnino pro alio solvi poterunt, nisi is ipse promtam et haud gravatam operam suam exhibuerit. Similis causa est commendationum ad Famil. XIII. 58 et 59, ubi Cicero praetores rogat, ut familiares sui, *quae aequa postularint,* non solum impetrent, sed etiam *ipsis libentibus impetrent;* quod si quis Marklandiano exemplo cavilletur, eandem disceptationem habeat, quid in jure impetrando intersit, utrum id libenter an secus praetor tribuat; beneficium tamen is demum se accepisse arbitrabitur, qui simul etiam libentem magistratum habuerit.

---

107) Remarks p. 194: *for what is it to the purpose, whether it be paid willingly or unwillingly, readily or with reluctance, provided it be but paid? Here than is the injudiciousness of our Author . . . where as he uses it when it is nothing to the purpose, and when its contrary would have been equally true; in which manner it is certain that Tully would not have reasoned!*

108) Observ. p. 370: *perhaps not, if it is a sum engaged in an affair of the utmost importance!*

Jam vero tempus monet, ut peractis, quae huic quidem disputationi proposueram, ad id ipsum redeam, quod disputandi mihi occasionem praebuit, totiusque nostrae Academiae jussu et auctoritate faustissima vota ad saecularia Vestra afferam. Qua in congratulatione non illud tantum spectamus, quod omnes omnium terrarum populorumque scholae, quae literis artibusque tradendis ac promovendis institutae sunt, hac ipsa studiorum communione ita conjunguntur, ut quidcunque uni alterive laeti aut secus accidat, eodem ceteras quoque pro virili parte tangi consentaneum sit, sed etiam peculiari quodam Vestri amore et admiratione ducimur, qui in extremis patriae oris constituti bonarum artium scintillas, quas tribus abhinc saeculis divinus Germanicae nationis vigor procreavit, adeo fovistis, ut non solum istas terras ex antiqua barbarie ad nostrae culturae participationem converteretis, verum etiam insigne doctrinae lumen istinc in ipsa patriae eruditionis penetralia refulgeret. Longum est clarorum nominum seriem enumerare, quibus per tot saecula et ipsa Vestra Academia condecorata est et totam rursum Germaniam decoravit illustravitque; quorum ubi unum modo omnium facile principem Kantium nominavero, in tanta copia vix aliquam Vestrarum laudum partem me expressisse recte novi; idem tamen si paucis verbis animorum nostrorum sensus comprehendere cogor, non vereor, ne ideo aut minus grati avitae Vestrae gloriae memoriam recolere, aut futurum splendorem, quem tot praeclarorum ingeniorum proventus Vobis praesagit, segnioribus studiis prosequi videamur. Faxit Deus feliciter! nos, quidquid fausti Vobis Academiaeque Vestrae contigerit, sincerissimis plausibus excipientes habebitis, neque quenquam nostrum esse Vobis persuadebitis, quin ita apud se constituat, inter omnes communis patriae Universitates vix ullam inveniri, cui bonum civem magis favere magisque laeta omnia precari deceat, quam Vestram, Viri Illustrissimi et Amplissimi, qui quo longius a nobis abestis, eo ardentiores omnium curas jure meritoque excitatis.

P. P. in Academia Georgia Augusta prid. Idus Sextiles a. MDCCCXLIV.